10.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

METHODO

Tuta & Facili, citra Salivationem,

curandi

LUEM VENEREAM,

Quam

Experimentis, & Obſervationibus Practicis firmatam & illuſtratam, olim ſibi comparavit

B.M. JOH. CONR. à BRUNN
in HAMMERSTEIN, PROFESSOR
quondam Heidelbergenſis, Sereniſſimi Electoral. Domûs Palat. Archiater, & Conſil. Intimus, Acad. N. C. ſub Herophili nomine adſcitus.

Nunc autem publici Juris facere, decrevit

JOH. JACOBUS, Filius, M. D.

SCAPHUSII,

Typis & Impenſis Joh. Adami Ziegleri; MDCCXXXIX.

VIRIS
CLARISSIMIS, DOCTISSIMIS, & EXPERIENTISSIMIS; PRAXEOS MEDICÆ CULTORIBUS STRENUISSIMIS ac INDEFESSIS; FAUTORIBUS atque COGNATIS, HONORIS & ÆSTUMATIONIS CULTU maximé PROSEQUENDIS:

DN. BERNHARDINO WEPFERO,

Med. Doct. Sereniſs. & Illuſtriſs. Aurelianenſ. Principum Archiatro Meritiſſimo:

NEC NON

PRÆSTANTISSIMO EJUSDEM FRATRI,

DN. GEORGIO MICH. WEPFERO,

Med. itidem Doct. Practico Schaphuſiano Feliciſſimo, ac Famigerato

Diſſertationem hanc ſacram dicit, dedicatque

AUTHOR.

PRAEFAMEN.

§ I.

Cum Ars noſtra Medica non anguſtis usque cancellis incluſa teneatur, quin, quotidiano ejus exercitio, magis illuſtrari, firmari; ſicque continuò, quoad Scientiam noſtram, incrementum capere valeat; illud ſanè locum adinvenit in Praxi, ubi amplus experiundi, patet campus, clinica, qua morbos, eorum cauſas, medicamentorum, contra eos inſurgentium, naturam acuratius indagandi, perpendendi; ſique deinceps in intimiorem horum cognitionem perveniendi, atque adeò feliciorem, dexterioremque (quâ ratione Praxis multum augetur) ſanationum acquirendi modum, exhibetur occaſio.

§ II.

Quæ quidem copia dum B. m. V. D. Parenti meo *olim dabatur ſufficens, ille, prouti in aliis morbis; ita in hoc genere; Lue ſcilicet venerea, ſeriam navavit operam, qua methodum tutam ac facilem iſtius morbi ſuperandi, demum inveniret.*

§ III. *Dum*

§ III.

Dum igitur, circa prægreſſum, inſtrumenta contra hanc Labem applicandi, modum ſolitum, haud adeo felices operationis ſentiret fructus; Et vice verſa ex mutatione ejus meliores initio perciperet, examinata inde diligentiùs hujus morbi, medicamentique, illum oppugnaturi, indole, non paduit ipſum decedere à [illegible] *ceptis, aliunde traditis; Sicque tandem, correctæ methodi erebro repetito uſu, firmam ſibi acquiſivit regulam, juxta quam ſecuriùs, faciliùsque olim, infenſum hunc hoſtem debellare liceat. Mutavit (inquam) ille in curatione venerei hujus mali conſilium, & mutavit tempeſtivè, quosque ſanare non potuit, non ſanatos maluit; quam viginti quinque tabefactos, aut fruſtratos.*

§ IV.

Dubitare autem cœpit primò de Salivatione, poſtquam obſervavit, Symptomata: niſi a primis quaſi, ab excitata, per Mercurii inunctionem, Salivatione, diebus evaneſcerent, poſthac ſanata non fuiſſe, etiamſi eandem repetiverit, aut inceptam ad multos præterea dies (ſeciùs atque perſuadere ſolent hujus fautores) protraxerit. Cujus rei aliquot exempla hic adducere poſſem; ni inferiùs commodior de his diſſerendo daretur locus & occaſio.

§ V.

Contigit autem caſu, ut, cùm in Aula Epiſcopi Conſtantienſis ageret, ipſum conſultum veniret Pharmacopeus, Vir juvenis adhuc, in Arte ſua egregie exercitatus; pallido is vultu, & Languore inſolito morbum præ ſe ferebat; Tandem, occultatum hactenus, ipſi manifeſtavit facilè: conqueſtus imprimis de ægritudine diuturna, doloribus tibiarum, tuberibus, quæ gummata vocant, variè inſignitarum: Querimoniarum autem ſumma erat, quòd tot, tantaque, ad rebelle malum expugnandum, uſurparit remedia: nullum non, quem expertum crediderit, Medicum conſuluerit, conſultique conſilia ſectatus fuerit; hucuſque irrita. Eodem tempore decoctum quoddam anti-venereum, ex variis ingredientibus cum Argento vivo paratum, egregios præſtare effectus, V. D. Parenti meo *aliunde innotuit: Hinc animum ſumpſit, addiditque ægrotanti*

tanti ſtrenuè, tali uteretur remedio; inſimul, ad Argenti vivi efficatiam intendendam, quotidie grana duo, tria, vel quatuor Mercurii dulcis decocto præmitteret, author fuit, atque ſuaſor. Uſus his per quatourdecim dies, plùs profectus, & Levaminis ſenſit, quam antebac ex omni alio medicationis genere. Quod demiratus, majori adbuc confiduciæ conſtantia, idem continua[illegible]o cum ſucceſſu, ut intra triginta circiter dies plenariam valetudi[illegible]uperaverit, quam antè, propter irritum aſurpatorum hactenas tot remediorum ſucceſſum, deſperaverat. Et, quod imprimis hic notandum, nullam in toto curationis tempore, ſenſit, aut expertus eſt ſalivationem.

§ VI.

Unde concluſit, minùs rectè ſalivationem hujus morbi remediam: quin contrariam, prouti modò dictum, expertus, hoc exemplo confirmatus fuit in ſua ſententia, Mercurium non per ſalivationem proprie; ſed tanquam ſpecificum, & verum hujus Luis antidotum, ſanare morbam venereum. Neque ipſum ſua fefellit opinio: Quod ex ſequentibus, quæ in gratiam aliorum, quibus talia curæ ſunt, adducere, haud piget, diſpaleſcit.

§ VII.

Antequam verò ulteriùs progrediamur, monendum, quòd hic neque atrocis illius morbi, contra quem dictum medicamentum inſurgit, originem, progreſſum, ſymptomata, gradus, cum ejus effectis ordine ſingula deſignandi, neque accuratæ deſcriptioni modorum, quos, cum in applicatione remediorum Mercurialium, tum aliorum Medicamentorum uſu, diverſis temporibus, atque locis, Practici alii varios obſervarant, immorandi animus ſit: Quando hæc, ab illis pertractata, inde depromere, licet: Inſuper Argenti vivi, ac variorum tam combinatione cum aliis, quam operatione ignis, inde productorum indolem, atque proprietates hic examinare, non eſt propoſitum; ſiquidem hæc, à chemicis, atque mechanicis explorata, petere, ſi Libet, Licet. Sufficit hic Mercurii, ſecurè applicandi, indicaſſe Methodum, qua B. m. V. D. Parens meus in Praxi olim uſus, dictum morbum facilè, atque feliciter, abſque ſalivatione, ſuperatum fuiſſe, toties animadvertit. Cujus igitur

 experimenta

experimenta circa eandem facta, ſimul allegâſſe, haud pœnitebit. Ceterùm cum de tetri hujus morbi cauſa peculiarem ſententiam fovit, quædam illius argumenta, probabilitatem opinionis aſſerentia, huc quoque adferre, conſtitui: ubi de Mercurii, & aliorum, qui in hoc morbo vulgò in uſum vocari ſolent, remediorum efficacia ſaltem in genere diſſerendi, atque inſuper effectuum quorundam, ab hujus morbi cauſa naſcentium, rationem indagandi, occaſio dabitur.

Denique cùm ſordidus ex Urethra fluxus hanc Luem vulgò comitari ſoleat, atque eidem Viro venereo natales ſuos debeat, modum, quô & huic mundando obviam ivit, circa finem, itidem ſuccinctum deſignabo.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA
DE
Methodo Tuta, & Facili, citra Salivationem curandi
LUEM VENEREAM.

§ I.

INter morbos, qui genus humanum affligunt, & affligunt meritò, non ultimo loco ponenda videtur *Lues venerea*, quæ ita invaluit noſtrâ ætate, ut morbus, olim Medicorum principi ignotus, ubique gentium modò graſſetur, caſtra imprimis ſequatur, indeque emanet, & propagetur in univerſum genus humanum; adeò ut praxin medicam exercenti vix obtingat frequentior, cum ſucceſſu quidem experimenti, laudi cedat, & praxeos amplificationi; ſecus autem crucem figat non minùs medenti, quàm patienti.

§ II.

Hæc quoque cauſa fuit, ut varii periculum fecerint & varia experti fuerint remediorum genera: nonnulli fauſte: alii autem minus fauſtè. Neminem, qui Medicinam vel à Limine ſaluravit, latere poteſt, quantoperè *in Lue curanda* nobis commendaverint *Ligni Guajaci* uſum, Indis, unde originem traxiſſe putant malum, nobis transmiſſi. Aſt ſive loci varietas, ſive aeris inclementia apud nos, ſive quæcunque tandem hominum temperies effecit, ut ſpe plurimi exciderint, aut ſucceſſu fruſtrati fuerint: quippe malum aut ſopitum, aut fractum ſolùm & imminutum, poſtquam per aliquod tempus ab ejus uſu ſiluit, & ſpicula ſua occultavit, brevi abhinc atrociùs recruduit, & in pejores miſeros præcipitavit calamitates.

§ III.

Alii Argentum vivum, quocunque praxeos experimento inducti, ſummis deprædicarunt laudibus, & citra ejus uſum, non longè ab hoc ævo, quemquam ſanari poſſe, negârunt inter exercitatos. Aſt & hoc medicamenti genus ſuâ excidit gratiâ, poſtquam expertos per modum inunctionum, aut ſuffimigiorum, non tantum tabo flaxiſſe, ore exulcerari, ſed & tandem miſerè enecari, obſervatum fuit, ut, majus tormentum homini inferri poſſe, negaverint, & remedium, ipſo morbo, pejus abominati, deinceps ſubire, dubitaverint; quin ſemel experti hujus tyrannidem, vix induci potuerint ad alterum ejus uſum, & periculum.

§ IV.

Fuit & *V. D. Parenti meo*, Praxin medicam exercere, incipienti, frequens experiandi occaſio, cumque *Pariſiis*, ubi *Luem* hanc impenſè graſſari, nemo non novit, methodum aliam non viderit, neque in publicis, huic malo ſanando dicatis, noſocomiis expertus fuerit, redux hac quoque methodo uſus, *Salivationem unicum ſanationis* eſſe remedium, planè perſuaſum habuit. Sollicite proin totam luſit tragœdiam (le grand chemin vocant Galli:) præparationem,

nem, uſu *Balneorum humectantium*, ad fluxiles reddendos humores viſcidos, tubulos, & canales, per quos fluere debuit humor virulentus, aperiendos, omni curâ, & ſtudio præmiſit: abhinc *venenum* ipſum, inſtitutis inunctionibus, per vaſa *ſalivalia* eliminare, conatus fuit, interdum felici, interdum minus felici cum ſucceſſu: & tamdiu huic methodo inſtitit, donec tandem vidit, majori carnificina torqueri non poſſe homines; interdum (nam frænum inhibendi *Salivationi*, non eſt in manu medentis) ad orcum præcipitari miſerrime.

§ V.

Anno 1694. ad Imperii quendam Magnatem accerſitus fuit, laborantem, præter *Cachexiam* univerſalem, tumore pedis ſiniſtri, cum exoſtoſi grandi in tibiæ parte excarni: doloribus præterea nocturnis fuit vexatus, qui à longo tempore ortum traxerant. Anno præcedente ſubierat *Curam Mercurialem*, & infauſto ſidere contigit, ut *Mercurius dulcis*, à Pharmacopœo ſubmiſſus, effectum planè contrarium, & corroſivum ediderit, ejus enim vix medium ingluttiens æger ſcrupulum, ſtatim tantum faucium ardorem ſenſit per totum *Gulæ* ad *ſtomachum* usque tractum, ut è veſtigio, ſeſe intoxicatum, exclamârit. Concurritur undique, clamor & lamentatio auditur ſumma: hinc petunt ſubſidia, ad ardorem faucium temperandum, & corroſivitatem veneni eludendam: illinc mittitur curſor, ad *V. D. Parentum meum* deſtinatus, quem cum non inveniret, alium adducit Medicum practicum, qui, advolans, cùm inveniſſet pacatiora, ne fruſtra foret, ſuaſit continuationem Remedii, ſed probi & rite parati, ad *Salivationem* usque, quæ brevi poſt ſubſecuta, eo quidem cum ſucceſſu, ut dolores nocturni, quibus æger miſerè hactenus cruciabatur, ſopiti fuerint. Vix autem, ac ne vix quidem menſe elapſo, recruduerunt priſtini dolores primò in Brachio ſiniſtro, abhinc in aliis quoque artubus. Vocati igitur vere ſequenti denuò ad curam auſpicandam Medici *Salivationem* per inunctiones, ceu ſummum, & ad extirpandum morbum inveteratum, unicum Remedium in Conſilio propoſuerunt. Ad cujus auditum Æger Celſiſſimus totus contremiſcens celeri gradu aſcendit ad *D. Parentem meum* in conclave ſuperius, quó habitabat, & illius manum

 prehen-

prehendens, admovit ipſe præcordiis, ut ſentiret anxietatem & horrorem, quem ex *Salivationis* auditu præconceperat, addens, ſe mortem potiùs, quàm tam crudele, quod Anno præterito ſenſerat, Remedii genus ſubiturum. Opportunè autem *V. D. Parentis mei* mentem tunc ſubiit Methodus, *citra Salivationem curandi Luem veneream*, in aliis jam comprobata, cùmque nondum ſatis experientiâ fulcitâ ipſi videretur, ita illam propoſuit, ut, ſi minùs hac ad ſcopum pertingeret, loco præparationis foret, quam ipſa per inunctionem *Salivatio* dein exciperet, & morbum planè extirparet. Admiſit conſilium. Hinc præmiſſo Remedio ad Corpus purgandum, quotidie *Mercurii dulcis* nonniſi *tria* porrexit *grana* ad *Salivationem* evitandam, majori Doſi ſupervenire ſolitam. Decoctum inſuper ex *Argento vivo*, & *Antimonio crudo* in *petiâ*, cum *Radic. Salſæparill.* paratum fuit, cujus manè atque veſperi *Uncias octo* hauſit; paratum quoque *Decoctum ſecundarium*, *Aromatibus* palato accommodatum. Quibus per *Quadraginta Dies* uſus, malum ita fugavit, ut nunquam redierit: deinceps ſaniſſimus, nullas morbi reliquias ſenſerit, & integra uſus fuerit valetudine.

§ VI.

Erat ex famulitio, quod alebat ſplendidum, Venator, quem dictus Celſiſſimus magni faciebat, eò, quòd ex equo in ſtagnum lapſum exinde eripuerit, & vitam ipſi ſervârit, quem & ipſe ſervatum volebat, tanti beneficii memor, ex præſente vitæ periculo. Per annos is laboraverat *Lue Venerea* in gradu, quem dicunt, tertio; exoſtoſes plures cum carie habuit in tibia utraque, tabe conſumptus; quinquies per *Hydrargyroſin Salivationem* ſubierat, & eo ipſo tempore ultimam nondum finierat, citra fructum, & citra levamen dolorum, quos paſſus eſt diu noctuque atrociſſimos. Re feliciter peractâ, revertenti *V. D. Parenti meo* in Helvetiam ægrotantem Comitem adjungere, & ita commendatum voluit memoratus Celſiſſimus, ut, ſi ulla arte, vel ingenio poſſet, ſanitati reſtitueretur. Non diu hæſitavit D. Parens, quin eâdem methodo, quâ ſanatus fuit Celciſſimus Herus, & ſervum fidelem reſtitui poſſe, ſpem fecerit, & planè confiderit. Auſpicatus paria, curam continuavit eâdem methodo per *quadraginta dies*, & eo cum ſucceſſu, ut intra *Dies quatuordecim* non tantum immunis, & omnibus cruciatibus, quos cum in-

ferni

ferni comparabat, liberatus fuerit, ſed & integerrimam nactus fuerit valetudinem, quam ſervavit intemeratam, ut *D. Parentem* poſt biennium eò revertentem, ceu ſotera ſummum amplexus, ſalutaverit gratiſſimus.

§ VII.

Bina hæc exempla animum *V. D. Parentis mei* obfirmârunt, ut poſthac aliâ ſe methodo nunquam ad curandam *Luem Veneream* uſurum, conſtitutum ſecum, & deliberatum habuerit.

§ VIII.

Viennam hinc evocatus, invenit & ibi *Veneris* nepotulos, qui fateri coacti fuerunt cum illo dicente:

Miles eram Veneris; tenuit me Gallia quondam.
Hanc ego pro meritis palmam rependo meis.

Fuit ex horum numero Perilluſtris quidam, inveterato, & hactenus immedicabili faucium Ulcere laborans: eandem hic ſubiit curam eâdem methodo; tanta tamen fuit luxuries animi, ut vix auſcultaverit ſaniora conſilia, neque ſibi temperare potuerit, quin contra præcepta medica tempore Bachanaliorum in medio remediorum curſu choreas & congreſſus viſitaverit. Id quod tamen, ſanctè vitandum eſſe, *V. D. Parens meus* monuit. Non impedivit tamen tantus exceſſus veſanus, quin non modò nullum inde malum ſenſerit, ſed & abſoluto tempore remediorum, integram nactus fuerit valetudinem, quam ſervavit poſtea incolumem.

§ IX.

Poſthæc ad inferiores quoque Germaniæ oras devolutus, invenit & ibidem inſontes plures, fœda *Lue* infectos, & infectas familiâs Nobiles, in quas inviſa *Lues* graſſata fuerat ex infecta vetula, diris devovenda, quæ ſuxit lac ex mammis Fœminarum Nobilium, & *Salivâ* virulentâ primò contaminavit mammam Matris: inde virus ſerpſit in os tenelli inſontiſſimum; mox in alios gradum promovit; ancillas nempe, quarum una *Salivatione* per inunctionem è medio ſublata, altera

 ſanata

ſanata fuit: infans obiit, ex hoc, an alio morbo, non planè ipſi conſtitit; Mater autem vix perniciem *Salvationis* & mortis periculum evaſit, manentibus nihilominus doloribus atrocibus, ad quos tollendos, jactator quidam Medicus per annum varia obtulit, & egregiè verbis, quibus abundabat, ſpecioſis deluſit. Hæc (inquam) æquè atque cæteri, de quibus hactenus, ſimili methodo, perfectè ſanata fuit: cùmque per faſcinum illatam fuiſſe tantam *Luem*, tota *Civitas Colonienſis* perſuaſum habuiſſet, idem *V. Parens meus*, hac percurata, ad alias Familias infectas vocatus, invenit Medicos, eosque eruditos, qui diſceptabant cum ipſo, morbum non eſſe *Luem veneream*; ſed grandius, & à Deo immediate immiſſum malum, id quod eo majorem apud Parentem excitavit in Viro docto admirationem, quod non fuerit unus tantùm, qui morbo laboravit; ſed ſeptem in una domo: Mater infelix, quæ ab illa ipſa vetula deteſtanda malum contraxit: fuit infans anniculus; dein Maritus: adhuc duo alii infantes: denique famulus, & ancilla, quæ omnium maximè viroſa; omnes & ſinguli perfectè ſanati: in quibus omnibus, licet in uno, vel altero diverſa, *Luis Venereæ* ſigna apparuerunt, ab Authoribus annotata. Unde & conſtat, non ſemper omnia in uno *Luis Venereæ* ſigna patere. Quæ autem ſingularis fuit Dei gratia, infantes non tantùm ſumebant libenter Medicamenta, ſed & quinquennis filia, vegeta ingenio, *D. Parenti meo*, Düſſeldorpio adventanti, hilari animo narrabat, quantum Remediorum unaquæque ſororum & fratrum uſurpârit.

§ X.

Tertiam abhinc Familiam ingreſſus, Nobilem Matrem, atque Parentem, *Lue* infectum cum duobus reperit infantibus, qui & omnes, dictâ ratione, fœda *Lue* liberati fuerunt. Plura ex *B. m. V. D. Parentis mei* relictis annotationibus practicis afferrem Exempla; Niſi metuerem, ne pompam potiùs, aut jactantiam apud Eruditos, quibus hactenus dicta ſufficient, ſpirare poſſent.

§ XI.

Ex his igitur apparet, falſum eſſe eorum dogma, qui ſtatuunt, & Choro Medico perſuadere conantur, *Salvationem*, quia talem, eſſe

morbi Venerei Remedium: ceu Venæſectio pleuritidis. Etenim tantùm abeſt, ut *Salivatio* ſit præſidium contra fœdum hoc malum, ut *V. D. Parens meus*, minuendo *Mercurii* doſin, hanc vitare, omni ſtudio allaboraverit, & facto ipſo evitârit, atque hinc, nullam æquè *Salivationem* expertos, ac ab eadem præmiſſa fruſtrà habitos, omnes, dicta ratione, liberatos fuiſſe, nullamque poſtea, quæ haud rarò *Salivationem* ſubſequi ſolebat, Recidivam ſenſiſſe viderit.

§ XII.

Mercurium verò non per *Salivationem* propriè *Venereum* morbum fugare, huic ſententiæ aſſentiri videtur D. D. Gerard. Gorris libro, cui inſcribitur titulus: *MERCURIUS TRIUMPHATOR. pag. m.* 68. ubi *Salivationis* effectum non propriè *Mercurio*; ſed *Sulphuri corroſivo*, eidem intimè juncto, tribuit: ſiquidem *Hydrargyrum*, abhoc depuratione liberatum, atque ex metallis, quæ ſibi intimè aſſociata tenet, extractum, nullum Ptyaliſmum inducere; interim præſtantiſſimum æquè, ac ſecuriſſimum evadere aſſerit Medicamentum, in morbis chronicis, præſertim *Venereis*, *Polychreſton*, & fermè *catholicon*. Depurationis autem modum optimum tradit libro citato pag. 64. Illud ſaltem dolendum, quòd Author, venereos morbos abſque ulla *Salivatione* toties victos fuiſſe, quoque expertus, Remediorum, quæ ſub forma *Elix. Elect. Quint. Eſſent Pulv. Groſs. Balſ. & Pilular.* contra eoſdem uſurpaſſe, oſtentat, integram atque diſtinctam compoſitionem orbi Erudito Medico in tam magnum ægrotantium ſolamen communicare, dedignatus fuerit.

§ XIII.

Si quis nunc objiceret, *Salivationem*, è parciori *Mercurii* doſi excitatam, tollere Morbum: huic regerendum, quòd & illos, qui, conciſâ etſi doſi *Mercurio dulci* adhibito, præter intentionem in *Salivationem* inciderant, interdicto ideò ulteriori *Remedii* uſu, ſpe conceptâ fruſtratos fuiſſe, idem *V. D. Parens meus* obſervârit: quemadmodùm hoc in magni nominis generali Ipſi videre contigit, qui ſumens quotidie *grana duo die undecimo ſalivare* cœpit; cui *Ptyaliſmo* reprimendo fruſtrà laboratum fuit; ſed & irritum *Mercurium* ſumenti conamen,

namen. Cujus, ut & ſimilis apud complures alios, *Mercurium* longè majori doſi accipientes, ab ipſo obſervati Phœnomeni cauſa eſſe, videtur, quòd, *Salivatione* ſemel exortâ, *Medicamentum Mercuriale* nimis citò è corpore iterùm profligatur; ut adeò, ſufficiens haud tempus in eo commorando, vim ſuam in delendo *viro venereo*, ſatis exercere nequeat; ubi ex adverſo, nullâ, præprimis hujus modi ſenſibili evacuatione concitatâ, tempus conceditur, quò moderatâ doſi Mercurius quotidie ingeſtus omnes & intimos partium receſſus permeare, atque ita *miasma venereum*, quod in ultimis forte oſſium penetralibus latitans hodie ejus efficaciam ſubterfugit, ſubſequentibus diebus, ſenſim & pedetentim ſubigere valeat.

§ XIV.

Scitur autem hinc ratio, cur, primis niſi à cœpta *Salivatione* diebus evaneſcant ſymptomata, & ſanentur ægri, poſthac, etiamſi ad plures protrahatur dies, nullos eſſe animadvertamus? quia nempe dum *miaſma venereum* usque multiplicatum, per corpus diffuſum, & irradicatum invaluit, ut *Mercurius* tempore illo brevi, quò manet in corpore, ejus efficaciam haud ſuperare poſſit, poſtea, mox iterum *Salivatione* rejectus, tantò minus ejus vim ſupprimere, penitùsque delere valet: idque imprimis, cum ab una, vel iterata inunctione *Salivatione* ſemel exorta, ab ulteriori *Mercurii uſu*, ni ſuffocatum velimus Ægrum, deſiſtendum eſſe, novimus. Noſcitur adhæc, cur inunctionem vis unico quaſi ictu interdum proſternat virulentiam, quæ aliquandiu ſopita hinc iterum evigilat, & acculeos ſuos emittens, priora, imò pejora patrat ſymptomata? quia ſcil. *Mercurii* virtute potiſſimo *Miasmate venereo* ſuperato, quædam nihilominus hujus portio, in aliquo corporis receſſu relicta, permanet: unde, *Mercurio* ferè omni per *Salivationem* jam iterum corpore emiſſo, dictum *Miaſma*, ceu ex equo Trojano cum tempore prorumpens, maſſam humorum denuo inquinat, & recidivam parit, morbo ipſo, pejorem.

§ XV.

Licet nunc quandoque accidat, ut *Mercurio* mâgnâ copiâ per inun-

inunctiones corpori immiſſo, quædam hujus portio, in aliquibus partibus ſtabulans, tamen haud ſingula morbi ſymptomata auferat, illud potius corroſivæ Remedii virtuti, quàm *virulentiæ venereæ* aſcribendum: Et, ubi *Miaſma aliquot venereum*, in quacunque corporis parte latitans, ab ipſo quoque in corpore permanente medicamento non evertitur, vel inde provenire, videtur: quod *Mercurius*, quædam infecta loca citò translabendo, eadem haud emendata relinquit; in aliis autem, veluti pinguedinoſis & oleoſis locis, incarceratus retinetur, ut indè difficulter iterum in circulum redactus contaminatis partibus vim ſuam impertire nequeat. Quare non mirum, in oſſium cryptis, atque cavernulis merum quandoque *Argentum vivum* apud inunctiones hujusmodi Mercuriales perpeſſos, poſt obitum inveniri, qui ſanè potius Medicamenti, quàm morbi pœnas luerunt.

§ XVI.

Ex dicta nunc *B. m V. D. Parentis mei* (nam neminem ille ducem habuit, neque dictatorem) inventa methodo nihil hujusmodi verendum: quin continuando Remedia ad *quadraginta Dies* non metuendum, ne horum efficaciam quicquam ſubterfugiat: plerumquè enim poſt uſum quatuordecim dierum evaneſcere ſymtomata, & dolores atrociſſimos ceſſare obſervavit: quo quidem tempore *Salivationis* per inunctiones inſtitutæ efficacia plerùmque exſpirat; ſive malum expugnatum fuerit; ſive minus, deinceps redituum. Quare ille, poſt 14. *Dies*, etſi ſiluerunt ſymptomata, nihilominus tamen continuandum eſſe, ſeriò monuit, & inculcavit: Ita enim factum eſt, ut *particulæ Mercuriales*, ob ſummam ſuam diviſibilitatem, quâ admodùm tenues exiſtunt; dein ob gravitatem, quam, auro excepto, præ aliis corporibus majorem obtinent ſpecificam; adhæc per lubricitatis donum, quo pinguibus non facilè adhærent; denique ob figuram ſuam ſphæricam: ceu maximè mobiles, & penetrantiſſimæ, totum perſpiraverint corpus, intimosque ejus receſſus pervaſerint; ita ut, quod uno die ſubterfugiens latuit in-qua parte, aut oſſium penetralibus *miasma*, ſubſequentium operatio ſubegerit: & ita ne *micam* quidem *veneni* reliquiſſe, juxta cum experientia allata facilè intelligitur.

§ XVII. Neque

§ XVII.

Neque enim *Mercurii* virtutem, cum quatenus *Salivationem* proritat, tum quoad *Venereum morbum* extinguit, in magna quantitate conſiſtere, vel exinde, uti partim ex antecedentibus, apparet: quia à paucisſimis *Turpethi mineralis* granis *Salivationem* concitatam, *Luemque Veneream* expugnatam fuiſſe, obſervavit idem: quin, geſtando cingulum, *Mercurio* illitum, *Salivationem* interdum funeſtam excitari, plus quam in vulgus notum eſt: ut inde, paucisſimas tamen eſſe particulas, ſeu effluvia, ex cingulo expirantia, & poros ſubintrantia, quæ tales patrant motus, facilè intelligatur. Solent inſuper alii ſolo *Mercurii* decocto ſanare *Luem*, & enecare *Vermes*, cui tamen in pondere nihil decedere, compertum eſt: adeo ut paucitati *Mercurii*, indies uſurpati, minimè diffidendum eſſe, cenſuerit toties nominatus *B. m. V. D. Parens meus*, ſecundùm illud dictum:

Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo:

Contrà omne nimium, juxta obſervationem & effatum *Hippocratis*, naturæ ſit inimicum. Conferantur cum his, quæ *Ettmüllerus* de parvis magnorum morborum principiis commentatus eſt; & *Boyle* de ſubtilitate effluviorum.

§ XVIII.

Utrum verò ſolæ ſint *particulæ Mercuriales*, quibus tota virtus & operatio adſcribenda ſit, initiò hæſitavit, cum & alia his acceſſiſſe ingredientia, omnesque, quos noverat, *Decoctis uti*, *Mercurio currenti Antimonium crudum*, *Radices & Ligna antivenerea* aſſociâſſe, ipſi conſtitit; poſtquam verò aliunde ipſi innotuit, in curatione per inunctionem, & ſuffimigia, ſolas *Mercuriales particulas*, omne, quod ajunt, ferre punctum; atque inſuper aquam vidit, quæ *Mercurius* per ſe ſine additione reſolutus dicebatur; (verè, an falſò; illud in ſuſpenſo reliquit) cujus aliquot guttulis, indies aſſumptis, *Lues* ſine ullo incommodo extirpata fuit, *particulæ Mercuriales* quin ſolæ ſufficere queant ad extirpandum *Venenum venereum*, ille quidem poſtea nullus dubitavit: quibus tamen cætera accedere citra detrimentum, & juxta cum illis locum tenere poſſe, cenſuit.

§ XIX. Quâ

§ XIX.

Quà ratione autem ſubigat, & extinguat *venenum venereum*, nondum liquere putavit. Ad genus autem animatum, *Virus* hoc *venereum* referri poſſe, plura eſſe, quæ ipſi perſuaſerint, credidit; Et quidem

Imò. Modum invaſionis, quò, nonniſi per contactum contrahi malum, obſervari. Si enim inanimatum exiſteret, tunc non patere, quà ratione ſub eadem ejusdem conclavis *Athmosphæra* degentes, & cum labe hac infectis verſantes, non ſimili malo corriperentur. Quod cum non accidat, probabile videri, eſſe genus animatum, domicilium, quod occupavit, ſuum non deſerens; donec ſimile per contactum, ubi alimoniam aptam offendit, commodè arripere poſſit.

IIdò. Animatum hoc genus depromere voluit à partibus corporis *Viro venereo* potiſſimùm infeſtari ſolitis: ubi illud in pulpoſa loca, nectare dulci blandoque ſucco ſcatentia, veluti in *glandulas inguinales*, *Urethræ*, totiusque cutis circumferentiæ, porrò in *Medullarem oſſium ſubſtantiam*, ſpretis præ his aliis locis carnoſis, maximè deſævire obſervetur. Quibus regionibus, dum ſuccum, adinſtar olei amygdalarum dulcium, alibilem, blandum atque gratum copioſè continuò fundunt, ejusmodi *beſtiolas* maximè delectari, *infenſâ fœturâ* nidulari & numero augeri: donec tandem totam humorum maſſam obruant, exiſtimavit.

IIItiò. Tempus dolorum acutiſſimorum ingruens, idem innuere videri. Etenim, qui interdiu ſatis bellè valere ſibi videbantur, ſub crepuſculum plerumque diris vexari doloribus, quos per noctem, unde nomen habent, ſævire: diluculo autem illuceſcente, ſponte miteſcere ſua. Cujus quidem phænomeni rationem eſſe in promptu, *animatum* ſi ſupponatur eſſe *Virus venereum*; quandoquidem diverſa diverſo tempore moveri *animalia*; alia verò quieſcere, obſervari: Ita manè potiſſimùm *volatilia*, per noctem quieta, & alia *animalia* moveri; circa meri-

diem *examina apum* volitare; ſub crepuſculum *ſcarabæos* ſuſurrare; & noctè *V. g. mures*, *feles*, & alia *rapacia animantia*, ad quærendum victum, circumcurſitare, quæ interdiu latebras quærunt, inſtinctu naturali, à ſummo Creatore ipſis indito. Quod ſi *venenum inanimatum* ſupponatur, rationem vix occurrere; cur nonniſi nocturno tempore lædat, ſibi ſimile interdiu æquè ac noctè; *animatum* autem ſi credatur, facile diſpaleſcere: cur, uti alia *animantia*, nonniſi certo diei tempore, aut noctè potius moveatur, *victum quærat*, *partes rodat*, *atque vellicet*, *doloresque* ita excitet *intolerabiles*; illuceſcente autem diluculo, quieſcat ad morem aliorum ſuprà memoratorum *animalium* & *inſectorum*.

IVto. Denique *animatum* hoc *virus* deduxit ex *analogia effectûs*, quem *mercurialia* operantur in iis, quæ in ſenſus incurrunt, cum iis, quæ ſenſibus minùs obvia. Quum enim *Mercurium*, cuicunque fere *inſectorum generi*, imprimis autem *pediculis*, atque *vermibus* infenſum, *beſtiolas* hujusmodi non tantùm fugare; ſed & penitùs profligare atque deſtruere, novimus; eundem verò, ad *Labem veneream* obliterandam, ſpecificum, & maximè potens, hactenùs cognitum, remedium eſſe, conſtet, argumentando à ſimili effectu concludit, *animatum* & in hoc morbo peccare *inſecti genus*, quod iſtum producens, eodem remedio extirpetur.

§ XX.

Si jam ſententia hæc minùs arrideat, ſufficit, adeſſe *acre*, *animatum* fuerit; vel *inanimatum*; quod cùm adeo *ſubtile* exiſtit, ut oculum, etſi armatum, fugiat, ad nullam acredinis, hactenus cognitæ, claſſim referre licet, æque parùm, acſi *animatum* ex adductis rationibus credatur, propria illius natura perſpicitur.

§ XXI.

Tale autem quidpiam in *viroſo* hoc *morbo* peccare, docet *inflammatio*, & *exulceratio* loci, brevi à *contactu impuro* enata; Innuunt

id

id *eroſiones*, *fiſſuræ*, *ulcera*, hinc inde in corpore, *fœdâ Lue* contaminato, cum tempore ſe manifeſtantia: confirmant id dolores artuum exquiſitiſſimi; denique caries oſſium, quæ in defunctis, ipſis integris membranis, ad medullam usque ſuppurata, imo friabilia reperta ſunt; quam quidem *acredinem Mercurium*, ceu unicum, & ſpecificum contra eandem remedium, absque *Salivationis* ope, deſtruere, invertere, penitùsque delere, ſicque omnes inde pendentes atroces eventus impedire, ex ſuprà allegatis conſtat.

§ XXII.

Sed huic *acri* (*animato*, vel *inanimato*; illud non diſcepto) adjungi *viſcidam*, *pituitoſamque materiem*, docet in hac ſordida Labe ſe proferens *torpor ſ. languor* : *tumores* in partibus *glanduloſis*, adinſtar *nucis juglandis*, elevati : *gummata in oſſibus* aſſurgentia; denique poſt obitum, in omnibus *venis*, locis *turgentibus*, *tumentibusque*, ut & in ſingulis *artubus*, *Lue fœdâ occiſorum*, *pituita alba reperta*; adhæc eorundem glandulæ, viſcido humore, & fœtido pure turgidæ, inventæ.

§ XXIII.

Quemadmodum autem *Mercurius* contra *Virus venereum* deletoriam ſuam vim exerit: ita & dotibus ſuis, quibus inſuper gaudet, memoratis; tenuitate nempe magnâ; gravitate, quâ, auro excepto, corpora alia excellit, ſpecificâ; lubricitate; denique figurâ quoque ſuâ ſphæricâ, virtutem ſuam contra *viſciditatem* junctam quodammodò exercere, potis erit: quatenus nempe ejus moleculæ motum, à cordis impetu ſemel acceptum, velociùs & expeditiùs ita proſequi, longiùs continuare; ſicque intimos *oſſium*, *glandularum*, reliquarumque partium *meatus* penetrare; in *lentorem hærentem* fortiùs arietare, eundem partim atterere, partim in venas propellere; ulteriorique ſuo majori incurſu in latera canalium, & repulſu ab iis in liquida, partes viſcidas *diſſolvere*, *attenuare*, atque ita vel *fluori priſtino reddere*, vel unà ſecum e corpore *educere*, hac ratione commode valebunt. Quare non mirum, quòd *Mercurius vulgaris*, *partibus*, quas intimè ſibi immixtas habet, *corroſivis*, non prius defæcatus,

catus, aut & iisdem artificio junctus, paulò majori copiâ corpori ingeſtus, effectum nimis magnum, & quandoque funeſtum, producat; quando ſic æque in tenella vaſcula, ac in liquores contentos virtutem ſuam exercere, intelligitur.

§ XXIV.

Verùm cùm juxta *V. D. Parentis mei* methodum, pauciſſima quotidie ſuggerantur *grana*, vix credendum, quod, præter deletoriam, quam ipſe in *Virus venereum* exerit, vim, per deſcriptas modò dotes, magnam efficaciam in deſtruendo ſimul *viſcido* adferre poſſit: quamvis haud inficias eundum, quòd crebrò aliquousque, etſi parciori quotidie doſi, adhibitus, has ſuas dotes in dictum uſum quodammodo impendere quoque valeat.

§ XXV.

Cui quidem immutando *viſcido*, *decocta lignorum*, *Radicumque*, contra fœdam hanc *Luem* adhiberi, ſolita, quin juxtà cum *Diæta tenui*, atque *diluente* potiſſimam quoque opem ſuam conferant, non dubitandum: ſiquidem *aqua*, cui dicta incoquuntur; imprimis moderatè *calida*, crebrò hauſta, partibus ſuis admodum ſubtilibus, & impenſè penetrantibus, lubricis, atque mobilibus, canaliculos corporis ubique permeando, lentorem, quem offendit, commodè reſolvit, attenuat, atque diluit, *meatus*, quos tranare debet humor *viſcidus*, *laxat*, *aperit*; adeòque *obſtructioni reſerandæ*, *inflammationi tollendæ*, idonea exiſtit: dum & eadem operâ optimum vehiculum præbet *acredini*, & inter illam eminenti imprimis *viroſitati*, quò cum medicamento *Mercuriali*, nocituro itidem, ſi in corpore permaneret, paulatim ſuperata, extra corporis peripheriam feratur.

XXVI.

Præterea peccantis *Lentoris diminutionem*, *obſtruentisque reſolutionem*, ingredientia *Ligna* apte quoque juvare, patet: ubi hæc, veluti *Lignum ſanctum*, *cortex ejusdem*, *ſaſſafras*, *amaram*, *acrem*, & *aromaticam virtutem largiendo decoctis*, ſtimulum ſic quodammodo majorem cordi, indeque continuatis vaſis adigendo, in frequentiores, & for-

& fortiores contractiones iſta concitare, circulationis motum augere, cuſpidibus, quibus ſcatent, ſuis, partes cohærentes diffindere, & ſaponaceâ ſimul ſuâ indole aquoſas moleculas lentori penitùs immiſcere, atque ita ejusdem *diſſolutionem*, *attenuationem*, *obſtruentisque reſolutionem* unà *promovere*, conſtat. Quibus ſimilia præſtare videntur *Radices Salſæparillæ*, *Bardannæ*, *Chinæ*: quando his moderatè calidis, & quibusdam ex illis leniter *Reſinoſis* atque *Balſamicis* non tantum *Urinam cieri*; ſed & *Diaphoreſin promoveri*, *ſudoresque excitari*, vel ſaltem à poſteriori notum exiſtit.

XXVII.

Ne autem quorundam ex dictis ingredientibus, veluti eſt *lignum ſanctum*, *cortex* ejus, *piperacea* ferè *indoles* nimiam vim inferat *vaſis*, non modo multâ aquâ iſta decoquendo, hæc temperatur: ſed & *mucilagine*, quam imprimis *Radix Salſæp.* fundit, quodammodò obtunditur: dum & eâdem operâ ipſius morbi *virulentia*, ne tantam *noxam* inferre queat, quadantenus involuta atque diluta mitigatur. Quæ inſuper dictæ *Radicis mucilago* in hominibus præſertim ſtrictioribus fibris, & ſanguine magis compacto naturâ donatis, hincque ad *inflammationes* citiùs *pronis*, vias, transmittendo liquido deſtinatas, quodammodò emollire, laxare, & ita tranſitum fluidi facilitare; præterea *aquoſis moleculis*, ut & medicamentoſæ reliquorum ingredientium virtuti, ne tam citò corpore iterum elapſæ, effectu defraudentur, cum intra vaſa corporis, tum fluidum iſtis contentum, aliquale diverticulum præbere, intelligitur.

Interim non dubitandum, quin quædam ex dictis ingredientibus, veluti eſt *lignum ſanctum*, *Cortex* ejus, *Radix Salſæparill*, præter modò allegatas *dotes*, aliquali inſuper *ſpecificâ virtute* gaudeant, quâ *virus venereum*, ſi non penitus eradicare, ſaltem quodammodò domare valeant; quando in aliquibus terræ partibus, his ſolis morbum profligatum fuiſſe, Practici quidam commemorant. Quod idem intelligendum de *Antimonio Crudo*: quum hoc tanquam corpus iners, odoris & ſaporis omnis expers, præter *ſemi-metallicam indolem*, cum *ſulphure* intimè *mixtam*, ſaltem quoad externos ſenſus, omni cæteroquin efficaciâ carere, notum ſit.

§ XXVIII.

Quomodo jam *inſlammatio loci*, quem ſubintravit primò *virus venereum*, naſcatur: facile divinare licet, cum intelligitur, hoc *veneno venereo vaſcula tenella exedi*, *corrodi*, & ita a ſe mutuo *disjungi*: ſicque non modò contenta liquida ex eorum cavis intra fibrarum membranas, ſive interſtitia *profundi* (qui evacuati liquores, putredine per ſtagnationem conceptâ, *acrimoniam* augendo, ſimilia dein patrant;) ſed &, extremis ſeparatorum canaliculorum oris verſus principium ſuum retrotractis, & in ſe quaſi coarctatis, fluxum liquidi, per eosdem tranſituri, intercipi; idem in regione, ſitâ inter *cor* & fines *canaliculorum ſeparatos*, circa eosdem *quieſcere*, *concreſcere*: indeque, dum ſanguini, à tergo adventanti, novo reſiſtentia paratur, *latera vaſculorum diſtendi*, *vicina comprimi*, ſimilia in iisdem produci; ſicque partes, hoc modo affectas, in *tumores attolli*, *inſlammatione corripi*, quæ pro ratione temperamenti, impetûs Cordis, & loci affecti diversâ, ocyùs vel tardiùs in ſuppurationem deinceps abit, & in Ulcus convertitur. Noſcitur autem facilè, *acre* hoc *venereum*, licèt nulla vaſculorum eroſio, aut omnimoda diſſolutio inde producta fuerit, ſtimulando ſaltem, & vellicando eorundem latera, viam nimis anguſtare; atque ſic liquido, à tergo adventanti, libero progreſſu denegato, *obſtructiones* & *inſlammationes* ex hac quoque ratione parare. Quibus producendis *viſciditatem*, ſive *lentorem*, quem hunc morbum comitari, dixmus (occludendo liquido, transmittendo, viam) aptam quoque anſam præbere, unusquisque facilè percipit.

§ XXIX.

Cùm autem hoc modo plures ramuſculi inter loca obſtructa, vel oras ſeparatas, & extremitates partium continuitate fluminis liquidi, permeaturi orbantur, latera horum collabaſcendo, aut & connaſcendo, cavum ſuum amittunt: ſicque tenuioris liquidi ſeparatio, indeque pendens Nutritio (unde vires, roburque corpori maximè conciliantur) paulatim diminuuntur. Qua propter non mirum, quod homines, fœdâ hac ſpurcitie contaminati, *languore*, & *laſſitudine ſummâ*, progrediente morbo, corripiantur, demumque *tabo* penitus

penitùs conficiantur, quum ſic cordis, vaſorum, ac muſculorum, voluntati ſervientium, vires ſenſim decreſcere, & tandem penitus obliterari, cognoſcitur. Qui quidem effectus *pituitæ* illi *viſcidæ procreandæ* commodam quoque occaſionem dabit. Viſciditas autem hæc, ut & virium diminutio, ſi animatum *virus venereum* creditur, ab *animalculis*, liquidum *ſubtile*, *tenue*, ac *maximè diluens*, nutritioni, & motui exercendo, imprimis aptum, paulatim *depaſcentibus*, oriri quoque poſſe, intelligitur.

§ XXX.

Ne autem prolixus nimiùm, in latiorem campum excurram, & aut, quod dedi, voto me liberem: En L. B. ſic ſe habuit *B. m. V. D. Parentis mei* genuina & vera, citra *Salivationem*, fœdum hunc morbum evincendi, methodus.

Præmiſſo *laxante*, & ubi Indicatio id poſtulabat, in adultis *venæſectione*, manè, horâ ſextâ, exhibuit ſequentem pulverem,

℞. *Milleped recens ſiccator. & pulveriſator. gr. XV.*
Mercur. dulc ritè parati gr. ij. gr. iij.
Ita, ut quotidiano exuſu non ſubſequatur Salivatio. Mſc. f. Pulv. ad Ch.

Mediâ abhinc horâ, & veſperi quintâ, porrexit ægro Uncias octo modò deſcribendi Decocti.

℞. *Radic. Salſæparill ſel. Unc. iij.*
- - - - Unc. iiij.
- - Chinæ ſel. Unc. dimid.
Ligni ſancti. Unc unam & dimid.
Argenti vivi probè depurat. in petiâ, libram dimidiam.
Antimonii Crudi in petiâ. Unc. iij.
Conciſa infundantur c. Aq. fervent. libris ſeptem in vaſe vitreato, clauſo, per viginti quatuor horas.
Poſtea coque ad medietatem.

Adde ſub finem

Ligni Saſſafr. Unc. dimid.
Tecta ſponte refrigeſcant.
Colatur. juſtè depurata, detur uſui.

Reſiduo

Reſiduo ex Decocto Primario adde Radic. Salſep. ſel. Unc. unam & dimid. coq. c. Aq. font. libris novem, ſ. decem ad tertiæ partis conſumpt.

Adde ſub finem

Cinamom. v. gr. drachm. ij.
Flavedinem ex uno vel duobus pomis Citri recentem.
Tecta quoque ſpontè refrigeſcant.

Cujus ſecundarii Decocti Colaturam conceſſit pro potu ordinario: atque hac ratione ad 40. dies curam extendit. Adhæc ægros, per 20. priores dies, mane, ab *aſſumptis remediis*, horam unam, vel alteram, ſine ſudore, in lecto commorari, juſſit: per ſequentes verò 20. dies, *Laconico*, quo *ſudor* promoveretur, commiſit, ſingulo quarto die, ab eodem ſemper feriatos. Imperavit abſtinentiam à *crudis, tenacibus, ſalſis, accidis* Commendavit victum *tenuem*, &, pro fallendâ ſiti, nil niſi ſuprà notatum *Decoctum ſecundarium* permiſit: ab aura liberiori, atque frigida, ſibi ſedulò caverent ægri, inſimul hortatus.

§ XXXI.

Infantibus, & majus incrementum ætatis quodammodò adeptis, dedit alternis diebus *granum dimid.* & pro ratione ætatis, *grana duo Mercurii dulcis in conſerv. Borrag.* cæteris diebus Pulverem *Radic. Salſeparill.* ad *Scrupul. dimid. drachm. ſemiſs.* & *Decocti ejuſdem* ſimplicis *Unc. tres, Unc. quatuor.* Singulis vero diebus conceſſit ſupra notatum *decoctum ſecundarium*, pro *potu ordinario.* Juxta quæ Medicus prudens in caſu, ſibi obvio, facilè normam ducere poterit: dummodò id ipſi curæ ſit, ut *Salivæ fluxus*, & reliquæ, ex nimio *Mercurii uſu* verendæ, noxæ arceantur. Eſtque hic modus, quo *B. m. V. D. Parens meus* aliquot familias, infantes, & adultos, ſordida hac Labe contaminatos, liberavit, aliosque, quos *Salivatio* fruſtravit. Cujus & teſtes erunt *Clariſſimi* & *Experientiſſimi*, quibus hanc Diſſertationem propriam dixi, *Viri, D. D. WEPFERI*, qui, praxi ſuâ, quà patet, amplâ his exploratis, veritatem rei affirmabunt. Fuit & mihi Anno 1724. Manheimii Judæus, vir 50. annorum ætate, temperamenti *ſanguineo-bilioſi, pallens, languens*, penitus emaciatus;

tus: doloribus per omnes artus capitiſque, circa crepuſculum ingruentibus, & inſtar candelæ, prouti dictitabat, ardentis à capite ad calcem repentibus: diluculo apparente, denuo evaneſcentibus, vexatus. Hic uti confeſſus, anno prægreſſo, *Salivationem largam*, & longè *protractam* expertus, quidem ad aliquot menſes doloribus immanis evaſit; aſt, tempore aliquo elapſo, in antiquam *labem* recidit: poſtea Manheimium translatus, *Mercurium* iterum *dulcem*, largâ copiâ à Medico Manheimenſi ad *intenſam* atque *prolixam Salivationem* usque *ordinatum* deglutivit, absque omni omninò fructu, aut ſanitatis perſeverantis ſucceſſu: dolores quippe nocturni, per ſex ſeptimanarum ſpatium quidem ſopiti, inde tamen mox iterum evigilârunt. Ego hinc *Parentis venerandi B. Defuncti* nomine vocatus, inſiſtendo illius methodo, dando nempe per 40. *dies* cum *Decocto Primario* & *Secundario prædictos Pulveres* (hac tamen cum diſtinctione, quòd, ob defectum *Laconici*, per 20. *poſteriores dies*, in lecto *ſudorem prolıciendum curaverim*, ipſeque æger, ultimis diebus, parum *Salivæ* emiſerit) optatum eventum conſpexi: dum æger, plenarie reſtitutus, alacris functiones omnes, absque ullâ moleſtiâ, aut perceptione dolorum, quantum mihi à biennio conſtitit, obire poſtea commodè valuit; ſecus atque antea, ubi nil niſi aquam cribro hauſerat.

§ XXXII.

Exhibuit quoque toties allegatus *V. D. Parens meus* adultis, veſperi, cubitum ituris, *Turpeth. Mineral. c. Syrup. Theriac. Andromach.* in *pilular. formam redact*: *granum unum*, aſcendendo ad *grana duo*, *grana tria*: idque vel quotidie, vel alternis diebus: ita ut præcaveretur *Salivatio*. Ex quorum uſu protracto *maculas*, & *exulcerationes cutis venereas*; imò & alia *ulcera magna inveterata maligna dicta*; *capita articulorum* ex *his arroſa* ad *ſanationem rediiſſe*, *obſervavit*: dum ſimul *Aq. Calc. Viv. Unc. ij. iij. Unc. iij. Mercur. ſublimat. granis iiij.* miſtis, manè atque veſperi, intinctis eisdem linteis, ulcera hujusmodi externa eluebantur, reliquaque ſimul in ulceribus applicanda curabantur.

§ XXXIII.

Aqua Mercurialis, de qua in antecedentibus mentionem feci, quæ *Mercurius*, per ſe ſine additione in aquam ſolutus perhibetur; cujus tamen præparationem, cùm *V. D. Parenti meo* videre non contigit, haud pro verâ hic venditare licet, ſequenti modo elaborari fertur.

℞. *Argenti vivi purificati Unciam ſemiſs. ad drachm. ſex.*

Inde phialæ, ovi magnitudine columbini, cum collo oblongo; quod ſupernè ſigilla hermeticè; & aliquot ſimiles phialas adorna, quando in capacioribus non reſolvi dicitur *Mercurius*: Pone has in *Balneo vaporoſo*, & ignem ſubmitte, eò caloris gradu, ut manus attactum in operculo *Balnei vaporoſi* vix ferre poſſit. Ita trium hebdomadarum ſpatio in aquam limpidam ejuſdem cum *Mercurio* ponderis, ſed extenſione quindecies auctâ, converti dicitur. Hujus Aquæ *B. m. V. D. Parens meus* guttas x. xij. cum *Rob. ſambuci* manè & veſperi, duobus adultis, *Lue Venereâ* affectis, citra ſtrictioris Diætæ aut aliûs regiminis obſervationem, exhibuit. Uterque 8. vel 10. dierum ſpatio, citra ullum excretionis modum ſenſibilem, aut perceptionem doloris, perfectè morbo liberatus fuit; rectè & primâ nocte dormivit poſterior, qui antè diris cruciatibus vexatus, totas noctes inſomnes egerat. Eſt fortè hæc Aqua, *Mercurius* ille *Philoſophorum pellucidus factus*, in quem *Argentum vivum* converſum iri, ſi acido externo, quod ipſi admixtum eſſe voluerunt, liberari poſſet, præſtantiſſimi ex *Chemicis* ſtatuerunt. Hæc autem cùm in confirmationem in anteceſſu poſitorum, tum ad calcar addendum Praxeos Medicæ Studioſis, annectere libuit, quò ad exemplar, *B. m. V. D. Parenti meo* communicatum, proliciendæ hujus *Aquæ* ſimili modo *periculum facere*, illos haud pigeat, perſuaſo benè, quod, eximium inde experturos fructum, neque laboris neque ſumptûs impenſi pœnitebit.

§ XXXIV.

Cæterùm cùm *Gonorrhœa virulenta* tetri atque fœdi hujus morbi plerùmque *comes* ſit; vel ſaltem, ni in tempore obviam eatur, aptam ſemitam ſternat, quà, proſerpente malo, in *plenam* ipſius de-

mum *Luis cloacam* effundatur; proin ab eodem *Viro venereo* originem ducat, & nonniſi diverſitate loci differat: modum, quo & hanc *Luis ſpeciem adortus* feliciter debellaverit, ſubjungere hic libet.

Obſervatis nempe Diætæ regulis ſuprà notatis, reliquisque in *inflammatione* atque *Ulceribus curandis*, dedit initio cubitum eunti unam ex ſequentibus pilulis, aſcendendo quotidie usque ad *V.* & *VI.* Numero: ad quem ubi pervenerat, plerùmque ita diviſit, ut manè dimidiam harum portionem, veſperi autem reliquam ſumerent ægri; augendo, vel minuendo doſin, ita ut præcaveretur *Salivatio*, & una vel altera, aut etiam tertia quotidiè *Operatio alvina* inde produceretur; ſicque continuavit ad 14. & plures dies; donec malum ſuperatum.

℞. *Maſs. Pilul. Urban. vel Extract. Catholic. drachm. ij.*
Mercur. dulc. drachm. j.
Miſc f. Pilul. ex drachm. unâ Nô. LX. *deaurentur*, dentur ad ſc.

Pro *potu ordinario* plebejis nil niſi *Decoctum Rad. Bardanæ maj.* in umbrâ recens ſiccat. & quibus ſplendidior res erat, *Decoct. Rad. Salſap. ſel.* conceſſit.

Aliis & veſperi ſingulo cubitum ituris dedit binas ex ſequentibus pilulis.

℞. *Mercur. dulc.*
Maſs. Pilul. Urban. ad drachm. unam.
Miſc. f. c. Elix. Aperit. Clauder. Pilul. ex drachm. unâ Nô. XXX. *deaurentur*, dentur ad ſc.

Sequentem Aquam pro *injectione in Urethram*, ad depurandum *ulcus* in eâ *venereum*, ordinavit.

℞. *Aq. Plantag. librum unam.*
Mercur. Crud. Unc. iij.
Coq. in vaſe vitreat. tecto, ad dimid. part. conſumpt. colatur. detur ad vitr.

 Ubi

Ubi *macula*, *puſtula*, ſive *exulceratio venerea* foris in *Glande* apparuit, juxta præſcriptionem *D. D. Kockburn Angli*, *Terebinth. Venet. c. Argento vivo ſubactam*, & ſuper alutam extenſam, admovendam curavit.

Quod idem quoque imitatus, ubi tale quidpiam in aliis corporis locis, veluti in *facie*, *fronte*, aut circa *genas* ſe protulit.

Carunculâ in *meatu Urinario* ex datis ſignis enatâ, idem commendavit *Ung. Diapompholyg.* cum æquâ portione *Mercurii Crudi* ſubactum, per *Urethram* ad locum affectum arte *deducendum*.

Ubi *Exulcerationes* atque *ficus* in ſ. v. auo ſa ſimul manifeſtabant, ſeq. Ung. illinere juſſit

℞. *Ung. Roſarum Unc. j. & ſemis.*
Argent. viv. Unc. dimid.
Mercur. præcipitat. drachm. ſemis.
Fl. Sulphur. drachm. unam. Mſc. det. ad fictile.

Ita tyro in Aulâ Pelatinâ coquinaris, 17. annorum ætate, *Gonorrhœâ Virulentâ*, cum ardoris ſenſu in *Inteſtino Recto*, ſecundum relationem Chirurgi, *ficubus* aliquibus circa anum intrinſecùs obſeſſo, correptus ex applicatione hujusmodi *unguenti*, juxta uſum ſuprà deſcriptarum *pilularum Mercurialium*, *diſparentibus ficubus*, convaluit.

Clariſſimus & Experientiſſimus D. D. Brunnerus, Exercitûs militaris Palatini, dum etiamnum in vivis eſſet, *Medicus Caſtrenſis Primarius*; *Phyſicus* ſimul, atque *Practicus* in *ducatu Montano Solingenſis* quondam dexterrimus; ex Patre Aguatus, etiam poſt cineres colendus in fluxu hoc *Gonorrhœæ* impuro, ad normam antea deſignatorum, initio dedit *purgans* ex *Diagryd. Mercur. dulc. Extract. Catholic. ãã. Scrupul. dimid. Ol. Fœnicul. Guttul. ij. c. Elix. Clauder.* in *pilulas* 14. redact. Ex quibus mediam portionem exhibuit horâ decubitûs, alteram manè ſequenti. Hinc quotidie veſperi, lectum petenti porrexit *Mercur. dulc. gr. ij. gr. iij. Milleped. gr. xv.* donec *Salivatio* ingrueret. Inde *Decoct. Antivenereum ſudoriſer.* per intervalla bibendum dedit;

donec

donec morbus omnimodè debellatus eſſet; applicato inſuper partibus *Genitalibus fomento calefaciente ac confortante*; ubi nempe materies jam albidior fluere incipiebat.

Quæ ideò hic commemorare placet, ut *Praxin Medicam* exercenti pateant fores explorandi, quæ magis proficua ſint ægrotis, hosque citiùs, tutiùs ac minori cum moleſtiâ, ſordido hoc fluxu immunes reddere queant, ut adeò, quæ magis apta videntur, ſeligere, & juxta hæc regulam, alios deinde ſanandi, figere poſſit. Quicquid ſit, in eo ſaltem à *Parentis* methodo haud deviere videtur præclaudatus Vir, quòd, parcam *Mercurii doſin* quotidie exhibendo, *Salivationem* per aliquot dierum ſpatium abarcuerit, ut adeò tempore illo *Medicamenti virtus miasma* illud *virulentum*, in ſolo fluxu impuro necdum per univerſum corpus diffuſum, facilè ſubigere valuerit; imprimis cùm hujus *remedii vires* poſtea ſuſtentatæ fuerunt *Decocto Mercuriali Antivenereo*, quò, apparentibus *Salivationis levis obortæ ſignis*, prioris dein omiſſi vices ſupplevit. Saltem in eo conſentire videtur, quòd, pro ratione majoris, aut minoris incrementi ipſius *miasmatis venerei*, remedii virtus adæquata eſſe debeat; ſervando nempe illam longius in corpore, ubi *virus* jam altè radicatum; eliminando citiùs, ubi idem, captis nunc demùm primordiis, nondum latè proſerpſerit.

Idem allegatus *D. D. Brunnerus* in maculis & eroſionibus ♀reis imò in ipſis doloribus nocturnis exhibuit internè

℞. ☿ij *dulc. gr.* ij. vel *gr.* iij,
Milleped. pulveriſat. gr. xv.

Miſc. *f. Pulv.* quem ſingulo veſperi miniſtravit, Decoctum inſuper *Antivenereum* aliquoties propinando; donec *Salivatio* inciperet: quâ ſponte plerumque per 9. dies continuatâ, ſine doſi ☿ii exhibitâ amplius à termino *Salivationis* ingruentis primo usque ad ejus finem, ſanari ajebat.

Infanti 10. annorum ſingulis diebus *gr. j.* ☿. *dulc.* dedit, atque infantem matris ubera, unde labem contraxit, etiamnum ſugentem (durante curâ matris) iisdem ulteriùs admovere juſſit.

Quàm

Quàm exigua verò ☿ii portio intra breve temporis ſpatium *Luis* primordia extinguere valeat, commonſtrat ſequens exemplum:

Anno 1721. menſe *Februarii*, *mulier* quædam Manheimii, vilioris conditionis, ſuſpecta erat de *Ulcere ♀reo*, colore & aſpectu in fronte valdè tetro, quod à tuberculo circumcirca ruſo initium cepiſſe, ipſa ajebat, tandem exulcerato, atque per medium frontem extenſo, cum ſubrepentibus inde per faciem ad genas usque puſtulis, ruptis, ichorem flavum fundentibus. Huic ex præſcripto *D. Parentis mei* externè imponebatur:

℞. *Argent. viv. Terebinth.* āā. *p. æq.*

Mſc. cum invicem, extendatur ſupra alutam: ſuadebatur adhuc Decoctum *Rad. Bardam. major.* pro potu ordinario. Quibus cum malum hoc omninò non ceſſerat, ſumpſit, ut præcaveretur *Salivatio*, alternis tantùm noctibus *Turpeth. mineral.* gr. j. cum *Theriac. Andromach.* gr. ij. in pilulam redactum, continuando decoctum *Bardam.* pro potu ordinario. Poſtquam his pilulis per biduum uſa fuit, die intercalato, in *Diarrhœam* incidit, ex qua puſtulæ illæ venereæ in facie una cum ulcere in fronte evanuerunt; feriata hinc ab uſu pilularum ob alvi fluxum exortum. Præter vires igitur ab Emplaſtro dicto communicatas duo tantùm grana *Mercurii* internè uſurpata *mali* initia ſuffocàrunt.

§ XXXV.

Sunt hæc B. L. quæ *V. D. Parens meus*, cùm adhuc in vivis eſſet, ut lucem viderent, ſæpiùs optavit. A cujus igitur obitu, & antè meum deceſſum, quin votis illius etiamnum ſatisfacerem, atque prelo iſta committenda curarem, longiùs morari nolui.

Ut autem *Experimenta*, quæ in aſſertionem ſecuritatis & facilitatis hujus *Methodi* ſuperiùs allegavi, magis illuceſcant, eadem hic ampliùs & quidem magis *practicè* didducta, prouti ex *D. Parentis mei* relictis *Annotationibus Practicis* iſta depromere, licuit, juxta pauca quædam alia per modum *Obſervationum* ſubnectere, non inconſultum duxi. Quæ igitur verbotenus delineatæ ſequenti modo ſe habent.

OBSER-

OBSERVATIO I.

Contagium Luis Venereæ in tota Familia.

Nobiliſſima Dna N. N. 31. annorum, trium liberorum mater, & modò prægnans, quantùm autumat, à bimeſtri, ſemper integrâ uſa valetudine; menſtrua ritè fluxerunt etiam lactanti, Anno 1697. menſe Octobr. peperit. Sextâ puerperii hebdomadâ ſuxit mulier non probatæ famæ lac; primo juxta papillam apparuit puſtula in mamma ſiniſtra, quæ extendebatur ad inſignem latitudinem inſtar *herpetis humidæ*: duravit per duos menſes: ſupervenit adinſtar febris, cum *Eryſipelate* faciei, *Lumbago* cum *Dyſuria*, & fluxit humor ſeroſus, erodens per pudenda, *fiſſuræ* in digitis apparuerunt, in pudendis ceu *Rhagades*, etiam circa anum; modò apparet *herpes*. In cubito dextro dolorem percipit. Uſa eſt variis; interruptim ſemel ad 20. dies pulverem ex ☿io *dulci* bis terve ſumpſit. In infante, quem lactabat, apparuerunt *bubones*; inde *maculæ* & *puſtulæ* effloruerunt in facie, abhinc per univerſum corpus. Inde *ancilla* poſt 6. menſes infecta fuit primo in faucibus, dolore capitis, puſtulis in facie ſimul affecta. Abhinc ante binos menſes *Maritus* fuit infectus; primò *bubones* viſi in inguine, inde circa collum; modò ulcera apparent in capitis parte capillata: nullos ſenſit dolores artuum. Poſt modùm filia 4. annorum glandulas circa collum, ceu *Scrophulas* contraxit, abhinc ulcera in pudendis, & hinc inde in facie pullulârunt. Denique famulus conqueſtus de *Ulcere* circa *columellas*. In *infante* bimo juxta commiſſuras labiorum apparent *Ulcera*, quæ nullâ arte ad ſanitatem perduci poſſunt.

Die 6to *Aprilis* viſitavi ægros. *Hera* jam *octavo* curationis die ſanari cœpit, & maculæ diſparuerunt: dolor cubiti à 5ta doſi *pulv. milleped. gr.* xv. Aquilæ albæ ſ. ℥. *dulc. gr. ij.* diſparuerunt. Cæterùm appetit egregiè; laſſitudinem autem ſentit à *laconico*, quô per 4. modo dies uſa fuit.

Dom. Maritus idem ſenſit beneficium, & ulcera ſanata ſunt undique, reſtante maculâ adhuc in barba; in collo glandulæ adhuc apparent, etiam in inguine dextro, ſed diminutæ (forſitan ad priſti-

nam

nam parvitatem reduci non poſſunt, diutiùs diſtentæ) cæterùm appetit, digerit, egerit, dormit, nil doloris ſentit; ſumpſit *pulv.* quoque c. *Decocto* ☿ & *Decocto ſecundario* pro potu ordinario; jam *quater* uſus *laconico.*

Ancilla doloribus nocturnis liberata, nihil doloris ſentit; appetit, digerit, dormit, ſed *fluor albus* copioſior, quô ante infectionem quoque laboravit; utitur iisdem.

Infantum tres utuntur ſimplici *Decocto Salſæparill.* cum *pulvere* ejusdem; Ulcera ſtatim ſiccata, deciderunt cruſtæ, & perbellè ſe ſe habent; ſuaſi tamen, ut alternis diebus *gr.* ß *gr. j.* ☿ij *dulc* ſeu *Aquilæ albæ* capeſſerent, unà c. *Decocto*, id quod commodè bibunt, atque libenter.

NB. In tribus infantum *Cruſtæ* apparent in parte capillata capitis adinſtar *tineæ.* Suaſi ablutionem cruſtæ; evulſionem pilorum cum linimento

℞. *Ung. Roſat. q. ſ.* ℥ij.
☿ *dulc.* ʒj.
præcipit. ℈ß.
Argent. viv. ʒj.

Subigantur c. invicem in mortario lapideo in unguenti conſiſtent. dent. ad fictil.

D. 23. *April* Nobiliſs. *conjux* ad *quadrageſimum* usque diem continuavit; *Aquilæ albæ gr. iiij.* per 10. dies ſumpſit. Maculæ penitùs diſparuerunt; ſentit adhuc brachium grave; appetit, digerit, egerit, dormit; gravida eſt. Die *Paſchatis* primâ vice prodiit in publicum.

Infans minimus, filia anni unius cum dimidio, bibit *Decoctum* cum pulver. *Salſæp.* Ulcera labiorum exaruerunt; nuper febricitavit ex dentitione, inde puſtulæ exortæ in labiis ordinariæ.

Filia $4\frac{1}{2}$ ann. penitùs perſanata eſt; nullæ puſtulæ viſuntur ampliùs.

Filius triennis, qui nihil *venerei* habere videbatur, niſi ceu *tineam* in capite, duas *puſtulas*, penitùs liberatur, dum exareſcentes, & admodum ſiccæ decidunt ſponte.

Nobi-

Nobiliſs. *Marito* omninò exaruerunt puſtulæ; impenſè ſudavit; *Rheuma* patitur: glandulæ imminutæ fuerunt.

Ancilla continuavit per 40. dies: dolores nocturni mitigati usque; totam noctem edormire poteſt. *Fluor albus* perſeverat.

OBSERVATIO II.

Lues Venerea totam familiam inficiens.

Alia Nobiliſs. *Dna. N. N. Colonienſis*, 9. annos maritata, *quater* peperit, *bis* abortivit, gravida modò 7. menſes, ſemper ſana, & florida fuit; ante biennium menſe *Auguſt.* An. 1697. puerpera lactavit infantem. Eadem *vetula*, quæ ſuxit primis diebus lac aliarum puerperarum, quas *Lue Venerea* inquinavit, & hujus *Matronæ* mammas ſuxit: *infans* decimâ hebdomadâ obiit motibus *Epilepticis.* In puerperio nihil mali ſenſit, niſi quòd halitus fœtabat. *Quatuor* à puerperio ſeptimanis papilla mammæ dextræ ceu cruſtulâ cinerea abducebatur per 3. ſeptimanas; in volis maculæ pullulârunt; eodem tempore nodi in labiis vulvæ comparuerunt. Quæ beneficio *linimenti* cum *Decoctis* & *purgantibus*, citra ordinem ſumptis, perſanata fuerunt; remanſit fluxus per muliebria ichoris ſeroſi, acris, mordacis, cui olim nunquam obnoxia fuit, & hoc ipſo tempore adhuc durat cum pruritu. Præterea ſentit inſolitum ex faucibus fœtorem. Cæteroquin ſentit gravitatem in artubus, humero; olim *Barγekoia ſ. Obauditione* laboravit: multum ichoris poſt aures fluxit. Mirè emaciata eſt. Suaſi, præmiſſo laxativo, *Pulv. milleped.* ℈ß. ☿ii dulc. gr. ij. 2dò *Decoct.* m. ac v. c. *Decocto ſecundario.*

Nobiliſs. *Maritus* olim ante 25. annos *convulſionibus* fuit obnoxius: fonticulos binos miſſerat. Anno 1687. in *Catalonia* morbo *caſtrenſi* laboravit. Anno ſuperiori ſupra pudenda pruriebat; mox inſtar *Herpetis* ſerpſit, & fudit ichorem acerrimum, copioſum: intra *ſex* hebdomadas ſanatus fuit beneficio purgantium, *quater* adhibitorum, poſtea Decoctorum *Antiſcorbuticorum* ex cochlear. &c. c. *linimento*: pullulârunt circumcirca *tubercula*, ceu *nodi*: poſtea in tibiis *herpes*, *ſ. puſtulæ* viſæ fuerunt; ibidem gravitatem ſentit inſolitam; in capitis parte capillata *puſtulæ* quoque ceu *nodi* apparuerunt, & in

***** volis,

volis. Cæterùm gracileſcebat, frigebat, cum laſſitudine, *Baryekoia*, ſ. *Obaudita*: inſuper ſentit ardorem circa *uvulam*, quæ rubet; ſentit adhuc laſſitudinem, pallet; glandulæ apparuerunt circiter collum; multùm ſciat, & emungit per nares. Suaſi, præmiſſo *laxativo*, *pulv. milleped.* ℈ß ☿ij *dulc. gr. ij.* 2do *Decoct.* m. & v.

Filia natu major, octo annor. totâ hyeme *fluorem* acerrimum per pudenda habuit: exulcerata fuerunt vulvæ labia; puſtulæ quoque circa commiſſuram labiorum apparuerunt; labium ſuperius tumuit, & adhuc tumet: *Ophthalmiâ* laboravit cum *nubecula*, ut monetam cognoſcere non potuerit; fruſtrà varia adhibita fuerunt; tandem anus opitulata fuit inflatione *pulveris rubri*, & *fonticulo*, in nuchâ excitato. Sanata fuerunt Ulcera pudendorum *linimento*. Cæterum tumet adhuc labium ſuperius, difficillime audit. Suaſi *Aq. laxativ.* ℥ijß. *mann.* ℥j. *Aq. Naph.* ʒjß. miſc. 2dò *pulver. Salſæp.* ʒß. & *Decoct.* ℥iiij. v.

Secundò *genita*, 6. annorum, *Ulcera* quoque in pudendis cepit: brevi autem ſanata fuit. Suaſi *Aq. laxat.* ℥ij. *mann.* ℥j. 2dò *pulv. Salſæp.* ℈j. *Decoct.* ℥iiij.

Filius quinquennis extenuatus eſt; graveolet ex ore; labium ſuperius tumet; queritur *tonſillarum* dolorem. Suaſi *Aq. laxativ.* ℥jß. *mann.* ʒvij. *Aq. Roſar.* ʒij. Miſc. 2dò *pulver. Salſæp.* ℈j. *Decoct.* ℥iijß.

D. 3. *Julii* uſurpârunt hactenus medicamenta ad præſcriptum.

D. 20. ſudavit *Materfamilias*, & hactenus adhuc bis; prima vice mirè commovebatur infans, poſtea citra commotionem ſudavit. Cæterùm fluxus albus adhuc apparet, ſed paucior abſque acrimonia & eroſione, abſque tuberculis; appetit, digerit, egerit, dormit; laſſitudinem etiamnum percipit ex brachio & femore ſiniſtris; jam à triduo utitur *Aquilæ albæ gr. iij.*; audit benè. Peperit feliciter infantem ſanum, vegetum: fluxus ceſſavit; nonnihil tamen ichoris fluit: compunctionem ſentit verſus partem inferiorem vulvæ. Suaſi *Elect. Salſæp.* Externè *Aq. divin. Fernel.* 3tio *Ung.* ☿*le.*

Nobiliſs. Dom. per 20. priores dies multum ſalivæ habuit in ore; per 20. dies ſcrotum ichorem fudit, qui à triduo remittit cum ſubore,

re. Graveolentia oris mira. *D. D. M.* auri inſtillavit *Ol. lij. ol Roriſm.* Unde acutè audivit. Convaluit; percipit adhuc multùm Salivæ in ora, & fluxum Urinæ infirmiorem ſolitò; puſtulas in temporibus, ſeu ſudamina. Securum eſſe, juſſi; ſi tamen velit abundare, ſumat cum Conjuge *Elect. Salſep.*

Filia natu *major* bibit *Decoct. c. pulv. Salſep. ſimplici.* Nihil mali percipit; niſi quòd *Achores* in parte capillata, durante curâ, apparuerunt, qui modo ſiccantur. *Glandulas* habet circa collum, quæ imminutæ, ex quo *Achores* proruperunt. Suaſi continuationem remediorum cum *gr. j. Aquil. alb.* Multum muci emungit ex naribus. Animadvertit itidem adhuc mucum ex vulva, nubeculam in oculo. Suaſi *Elect.* cum *fonticulo* in nucha, &, ceſſante inflammatione, *pulverem felis nigræ calcinat.* inflandum in oculum.

Filia natu *minor* bibit *Decoct. c. pulvere Salſep.* m. & v. Labia pudendi exulcerata fuerunt; durante curâ, nares multum emungit. Suaſi continuat. *c. gr. j. Aquil. alb.* & externè *Aq. Divin. Fernel. c. Ung. ☿li. Ophthalmiâ* itidem laborat. Suaſi *collyrium* c. *☿io dulci*, *præcipit. Argent. viv.*

Filius 5quennis labium habet ſuperius tumidum; olet ex ore; nuper magis tumebat; puſtulæ apparent circa labia, in capite *Achores*, qui modò reſiccantur. Suaſi continuat. *c. gr. ß. Aquil. alb.* &c.

OBSERVATIO III.

Lues venerea, malè per inunctiones Mercuriales ſanata.

Alia *Nobiliſſ. Dna N. N.* ſex liberorum Mater, ter abortivit; menſtrua & lochia ſemper ritè fluxerunt (benè colorata, vegeta, temperamenti ſanguinei:) nunquam ægrotavit, niſi anno ætatis 30. *Dyſenteriâ.* Cæterùm benè valuit. Menſe 7bris Anno 1695. peperit infantem feliciter, quem lactavit infantem per ſex menſes. *Ancillam* habuit, quæ cibavit infantem, quæ dicitur *morbo maligno* laboráſſe. Pullulavit *ulcuſculum* ſextâ hebdomade in commiſſura labiorum, dextrâ parte; abhinc *puſtulæ* cruſtoſæ proruperunt in fronte, mox in

parte capillata. Longo abhinc tempore *mater* in mamma dextra animadvartit puſtulam, quæ dilatata fuit, & ſaniem fudit ichoroſam. Abhinc in ſiniſtra mamma puſtula alia enata fuit cruſtoſa, quæ evanuit ſponte *aquæ alicujus* uſu pellucidæ. Eodem tempore alius *infantum* idem contraxit malum, etſi nihil habuerit commercii cum matra. *Ancillarum prior* octiduo à puerpera contraxit. *Alia* ſex hebdomadas abhinc ulcera in palato experta fuit. *Ancilla* 15ies inuncta *unguento* ☿li exſpiravit, poſtquam novem menſes miſerrimè ſalivavit ad mortem usque. Uſu *Decocti ſaſſafras infans*, & *ancilla* altera percurati fuerunt, ut integrâ modò utantur valetudine.

Die 10. Auguſti *Salivationis* periculum ſubiit; 13ies inuncta fuit mitiori unguento in plantis pedum, cubitis atque poplitibus; tertio die *ſalivare* cœpit; (præmiſerunt *potionem ſudoriferam* per octiduum) ſtatim exaruit puſtula ſata mammæ dextræ. Conceſſum fuit vinum, atque cereviſia, uſque dum propter ulcera oris tolerare non potuerit. Poſt 15. *Salivationis* diem *purgans* fuit exhibitum, unde ſalivare deſiit, manantibus *puſtulis* faciei. Denuò abhinc inuncta fuit; nec tamen *Salivatio* excitari potuit, litigantibus Medico, atque Chirurgo. Durante *Salivatione*, enatum fuit *Gummi* in utraque tibia. Uſa fuit *Decocto* per 6. hebdomadas, quotidiè bis, manè atque veſperi in *Scamno ſudorifero* per ſolidam horam; Durante curâ ſudoriferâ bibit *Decoctum Hordei cum lacte*: Abhinc etiam nonnihil cereviſiæ conceſſum fuit, atque vini Hiſpanici. Dolores, durante curâ, mitigati fuerunt; Ulcera in palato oborta; inde denuò *inunctiones* redintegratæ fuerunt *ſexies*, unde *Salivatione* iterum excitatâ, ulcera *Palati* enaſanuerunt; at redierunt *dolores nocturni* artuum. Hiſce operati fuerunt per integrum ſemeſtris ſpatium. Abhinc operâ *D. D. Marbolts* uſa fuit: Dedit *pulver. rubicundum* 2dò *Tinct. Anodynæ* ter quotidiè Guttas 50. inde dolores mitigati; ab initio ſomnolenta fuit, poſtea minùs. Si ſumpſit Tincturam, dolores conquieverunt; omiſſâ illâ, redierunt. Menſtrua ab eo tempora emanſerunt hucusque. Uſa fuit prædictis per 6. menſes. A 12. diebus abſtinuit à dictis remediis; ab eo tempore dolores redièrunt, ut noctu nullum capere ſomnum potuerit.

D. 25. Julii A. 1697. conveni *Dom. Ægram Coloniæ*. Extra lectum fuit; ma convenit in conclavi, vultu ſatis florido; Appetit

tit ſatis benè; ab eo tempore, quo ante quatriduum purgans ſumpſit, minus appetiit, ſitit; bibit vinum cum cereviſia; alvus reſpondet; olim uſa fuit Clyſteribus. Menſtrua à 6. menſibus emanſerunt; non tuſſit, vox nonnihil rauca, ſæpiùs fauces rubent; nonnunquam vertiginem ſentit.

Dolores patitur ingentes, ut non poſſit manere in lecto, in capitis parte capillata; in fronte *nodi* apparent indolentes: in medio cubiti oſſe *tuberoſum* apparet *Gummi*; dolores nonnunquam per univerſum brachium ſentiuntur; præſertim circa tempeſtatis mutationem. In genu dextro dolores patitur à feſto Paſchatis; intumuit illud, ceu contractum; utraque tibia *Gummis* planè tuberoſa eſt. Varia adhibuerunt *Emplaſtra*. Dolores totâ nocte ſæviunt. Pulſum habet celerem.

D. 14. inceptæ curæ ab undecima noctis usque ad diluculum dormivit: dolores mitiores; appetit. D. curationis 20. menſtrua redierunt, quæ antea per 6. menſes defecerunt.

D. 12. Octobr. inviſi itarum Dominam Ægram: 40. dies ſumpſit manè *pulver. milleped. gr.* xv. *☿ij dulc. gr. iiſ. ſv. v.* ſuperbibit *Decoctum c. ☿io & ♄. crud.* m. & v. & ſecundarium pro potu ordinario: ſudavit in *lacenice* per tres dies, feriando die 4to, à vigeſimo usque ad finem curationis. Gummata fricuit *c. ſp. vin. ☿io ſublimat.* imbuto. Dolores penitùs evanuerunt; appetit, digerit, egerit, dormit; menſtrua rite fluunt, habitus creſcit; *Exoſtoſes* minores. Utitur *Decocto Salſap. ſimplici* m. ac v. Prodeat in publicum.

RESOLUTIO.

Quid morbi ſubſit, indigitant dolores nocturni, *Gummata*, *Palati* affectiones.

Siniſtrè adhibita *hydrargyroſis* multa parit incommoda, exemplo aliorum, *Principis* alicujus, & *venatoris* ejuſdem, qui quinquies inunctus, ingentes dolores, & artuum *Gummata* expertus eſt; porrò remitis cujuſdam, atque *puellæ*, à ſaltatore infectæ &c. Utrùm ☿ius in itinere interceptus, oſſibus noxam inferat, & ceu calcinet eadem, incertum eſt. Forte utrumque accidit, ut ☿ius in itinere interceptus,

tus, & obhæreſcens in via, unà cum reliquiis *morbidis* oſſa erodat, cum ſale eorum quaſi efferveſcat, & in *Gummata*, atque *Tophos* attolat. Hinc de fragilitate oſſium plura exempla proſtant poſt adhibita perperam ☿lia. Sed & idem contingit a *Lue* ☿*lia* inexpertis, & ita certius huic adſcribitur, dum oſſa modo ſubit illa, ablata in cortice, obfirmata autem in penetralibus. Non mirum eſt, ☿*ium* non ſuſtuliſſe affectum; nam ejus curſus intempeſtive purgante cohibitus, & refrænatus fuit; neque abhinc in ordinem redigi poteſt; adeò ut fruſtra ſint plerumque, quin noxiæ *inunctiones ſecundariæ*, quæ poſtliminiò adhibentur; prout experientiâ multiplici conſtat.

Eo igitur annitendum, ut concretiones reſolvantur, tandemque per poros quicquid ſuſpecti ſubeſt, aut reliquiarum, aut ☿*ii*, eliminetur.

OBSERVATIO IV.

Lues venerea Salivationis efficaciam eludens; hinc citra illam ſanata.

S. quidam P. N. N. 25. annorum, habitûs & ſtaturæ mediæ, facie olim coloratâ, Variolis ocratâ; olim habitior, quam nunc capillis nigris; taciturnus quondam; temperanter educatus in patria, annum ætatis 14. egit *Tubingæ*. Anno ætatis 15. *Belgium* adut, amavit acida impenſè. Hyemem egit in *Hollandia*; inde *Galliam* frequentavit, ibidem diverſis locis commoratus per annum ingentem Morbum ſuſtinuit Anno 1686. qui cum *Delirio*, *Lethargo*, *Hemiplegia* & *Convulſionibus*, per 4. ſeptimanas durantibus, primò adortus eſt: tandem eruperunt *abſceſſus* in cute Nô. 26. præcedente ſudore, à pulveribus ex ☿. *dulc. gr. vij. cinnab.* ℈. *Diaph. Sal. Abſinth.* ad incidendam viſcidam lympham. Finito morbo, rediit circa feſtum Paſcha in *Germaniam:* bibit tunc *acidulas Deinacenſes.* Anno 1687. exceſſus commiſit tam in vino, quam in ♀*re*, & exercitiis equeſtribus, quibus aliquoties lapſus eſt ex equo: aliquot *Gonorrhœas virulentas* paſſus eſt, quas *Chordees* vocant *Galli*, primam Anno circiter 1688. binas, durante matrimonio, contraxit in itineribus, Anno ſcilicet 1692. & 1693. Durârunt per 6. hebdomadas, quamvis aſſiduò medicamentis uſus ſit; *Penis* intumuit, & ſanguinem minxit cum *Satyriaſi*: pro-

ſtibula

Ribusla neſanda frequentavit. Anno 1693. *Conjux* atrocem *Cephalæam* paſſa eſt: *puſtulæ*, ſeu *nodi* in fronte Mariti efflorueruut, & ſuppurarunt; nullis vel pauciſſimis tunc uſus eſt medicamentis; continuavit exceſſus. Anno 1693. tinnitum aurium cum *obauditione*, poſt Paſcha *defluxionem* ad femur ſiniſtrum paſſus eſt; eodem tempore circa ani marginem *tubercula* proruperunt. Uſus eſt *Acidulis Ebenhuſanis*, abhinc *Thermis Badenſibus*. Inter compotationes vacuavit integra vitra ad mediam menſuram. Circa autumnum novam *defluxionem* ad tibiam ſiniſtram paſſus eſt cum *tumore* & *dolore*. Hyeme dolores perſenſit primò in pede ſiniſtro, parte tibiæ excarni, qui non diu durârunt, potiſſimùm noctu affligentes; vanatum nihilominùs abiit; brevi conceſſerunt in pedem dextrum; circa *tarſum* ſecundùm ſpinam tibiæ ſævierunt noctu, ut lachrymatus fuerit; interdum feras ſequebatur, & vino indulſit ad dolores leniendos. Anno 1694. vocatus *D. D. Zeller* ſub finem Febr. invenit pedem dextrum tumefactum cum intenſis & atrocibus doloribus per totum pedem ad genu usque. Eodem tempore dolor *Metacarpum* ſiniſtrum inceſſit, ut vix attollere potuerit patinam: circa cubitum quoque doluit. Cibos eſuriales vomitu rejecit: habitus diminutus fuit, color impalluit; incedere non potuit. Alii quidam *Celeberrimi Medici*, morbum nonniſi *Salivatione* expugnatum iri, concluſerunt.

Anno 1694. *menſe Aprili*, præmiſſo purgante, ex *Extract. Catholic.* ☿. *dulc.* āā. *gr.* xv. impoſuerunt *Emplaſtra* humeris, carpis, cubitis, genubus, tarſis, & metatarſis: Eâdem vesperâ *phlogoſin* ſenſit in ore cum *dolore capitis*, pulſu celeri. Poſtridie ſumpſit *gr.* vij. ☿. *dulc.* c. *Theriaca*: inter deglutiendum ardorem ſenſit in gula. D. 3tio *Emplaſtra* rejecit, ſed 4to repetita fuerunt; 5to *Salivatio* erupit ad ℔ß. 7mo *inunctio* levis facta fuit ad augendam *Salivationem*. 8vo & 9no repetita fuit levis inunctio: *Ulcuſcula* ſuperficiaria parte dextrâ oris apparuerunt: quater inunctio facta fuit; nycthemeri ſpatio ad ℔iij. ſalivæ excrevit; noctu dormivit & parùm ſalivavit. Dolores ſtatim evanuerunt, ut totam edormiverit noctem: parca tamen & interpolata fuit *Salivatio*, parum quoque *Decocti* bibit contra Medicorum adhortationes. Duravit ad 27. dies. Ad augendam *Salivationem* exhibita fuerunt ter *grana* v. ☿. *dulc. c. conſerv. Roſar.* inde inſigniter debilitatus fuit, ut inhærere *remediis* ☿*libus* non licuerit.

Sudavit

Sudavit abhinc eſties ſupra *ſcamnum* à *Decocto*: poſtea ad priſtinum rediit victum. Sub finem *Salivationis* dolorem ſenſit ex pede dextro; duas puſtulas viderunt in fronte, brevi evaneſcentes; maculam flavam viderunt in induſio; unde malè ominati fuerunt. Ipſo feſto Paſchate prodiit in templum, bellè valere viſus. Tertiâ ſeptimanâ à peracta cura dolor intenſus pedem dextrum afflixit cum tumore, qui hucusque permanſit. *Panacea Pariſienſis Pulvis*, aſcendendo quotidie *granis* 5. ad 40. & 60. grana, intercalando 6to vel 5to die *Arcan. Corallin. grana iij. iv. v.*, dolorem ſuſtulit; remanſit tumor pertinaciter. Autumno Anno 1694. *maculæ* apparuerunt in pede dextro; pars tibiæ excarnis fortiter premi potuit abſque doloris intenſione; noctu parùm dormit, & leviter contriſtatur; color non tam vividus apparet. Ante 6. hebdomadas cecidit ex equo, eâdem veſperâ nihil doloris ſenſit; poſtridie expers doloris fuit; veſperi dolor partem inter mediam brachii ſiniſtri occupavit intenſus, eò loci, ubi ante *Salivationis curam* doluit; applicitis *Fomentis*; mitior evaſit; perendiè à ſumptis *pilulis laxantibus* evanuit. NB. Ante lapſum ſenſit dolorem humeri, quem frigori externo imputavit. Ab eo *tempore Atrophiâ* brachium laborat, & multò minus eſt dextro.

D. 27. Maji Anno 1695. conveni *S.* ad menſam; hilaris fuit, egregiè appetit, bibit vini circiter menſuram, alvus reſpondet, pulſus naturalis, facilè reſpirat, non dolet ex capite, benè dormit; nullam ſenſit laſſitudinem; ſatis carnoſus eſt; ſudat copioſè, præſertim in volis & plantis pedum; crebrò nares emungit, & *ſerum*, ſeu *mucum ſubcruentum* elicit, præſertim ex nare ſiniſtra; *cruſtæ* quoque tempore matutino emunguntur, ſtriis ſanguineis intus conſperſæ. A prægreſſa hyeme, quà commiſit exceſſus, dolor præceſſit capitis acutus; tibia dextra, tota quanta eſt tuberoſa; attactum etiam duriſſimum facilè tolerat; in medio *tres maculæ rubræ* apparent indolentes. A cura Pariſienſi dolores pedum atroces mitigati fuerunt; noctes tamen minus quietè egit; autumno abhinc dolores redierunt, & hyeme ſævierunt impenſè, ſed breviter.

D. 28. Maji benè ſe ſe habuit; noctu meliùs acunquam dormivit hactenus &c.

D. 3. Junii

D. 3. Junii, invocato Numine Divino, curæ initium fecimus *Laxativo* ex *fol. ſenn.* ʒij. *Rhabarb* ʒj. *Crĕmor.* 🜿ri ℈ij. coq. c. Aq. adde *mann.* ℥j. octies dejecit; noctu benè dormivit.

D. 4. ſumpſit m. ac v. ℥viij. ſeq. *Decoct.* ℞. *Rad. Salſæparill.* ℥iij. *lign ſanct.* ℥jß *Rad. Chin.* ℥ß infund. in aq. Libr. vj. coq. ad mdietat: c. ☿ij ℔ß. ♁. *crud.* ℥iij. in petià. Bibit *Decoct. ſecundarium* in paſtu.

D. 5. m. ac v. *Decoct.* Benè ſe ſe habuit; dormivit.

D. 6. à *Decocto* vomuit, quater dejecit; appetiit in prandio. Veſperi *Decoctum*: non dejecit, tormina ſenſit; in cœna non multùm appetiit.

D. 7. 8. 9. ſumpſit iterum m. ac v. *Decoctum*; appetiit egregiè, dormivit, & optimè ſe ſe habuit, nullos ſenſit dolores.

D. 10. ſumpſit horâ 6tâ *pulv. milleped. gr. xij.* ☿ij *dulc. gr. ij. Eſſent. Ambr. Sicc. gr. iij.* Bibit horâ abhinc *Decoctum.*

D. 15. & 16. ſumpſit 1mò ☿ij. *dulc. gr. iij.* 2dò *Decoctum* m. ac v. bene dormit, ingerit, digerit, egerit.

D. 17. ſumpſit *gr. iiij.* cum *Decocto* m. ac v. cruſtulæ ex nari ſiniſtra hactenus emunctæ, non amplius viſuntur.

D. 22. ſumpſit hucusque ☿ij *dulc. gr. iiij. c. pulv. milleped.* dejecit copioſè.

D 23. dejecit copioſe cum torminibus, & fluxu ventris; omiſit ☿. *dulc.*

D. 24. omiſit ☿. *dulc.* ſudavit in ſcamno.

D. 25. repetiit ☿. *dulc. gr.* iiij. ſudavit in ſcamno. Hactenus appetiit, bibit copioſe *Decoct. ſecundar.* Alvus reſpondit, Urina copioſiùs, quàm olim, fluxit; totam edormivit noctem, & in multam ſtertit diem; id quod olim nunquam contigit; color vividior, & ipſe habitus creſcere videtur; pes dexter, multò minor, ne gri quidem doloris percipit. Ex naribus nulla cruſtula, nec ſanguinolenti quid emungitur; ſed manent *exoſtoſes* in tibia dextra; parte

****** quoque

quoque ſupernâ ſiniſtrâ & cubito dextro *Exoſtoſis* reperitur; *tubercula* etiam duo, ſub cute mobilia, unum in ulna dextrâ pridem enatum, alterum in dorſo, quod a caſu ex equo pullulavit, & dolet, quando durius contrectatur.

D. 6. Julii hactenus m. ac v. bibit *Decoctum primarium*, & in paſtu *ſecundarium* copioſè: *manè* ſumpſit *pulv. milleped. c. gr. jv. ☿ij dulc.* quotidie bis, ter, quater dejicit, copioſè mingit: ſudavit in ſcamno per 12. dies: ab initio in ſcamno ſenſit *Dyſpnœam*, nunc ceſſavit. Appetit egregiè; color vivacior, & *Ipſe S.* vegetior; dormit totam noctem; pes maximam partem detumuit, excepto oſſe tibiæ. Coarctetur tibiali ex pelle canina Cruſtæ ex naribus nonniſi nuper unica emunctæ fuerunt toto curationis tempore.

D. 13. cura feliciter peracta eſt: bibit vinum cum aqua, & impenſè appetit; floridus fuit & rubicundus vultu; ne grij quidem mali ſentit.

RESOLUTIO.

Sola Gummata tibiæ ſiniſtræ, qua olim dolores impenſè ſævierunt, & ipſa planè tuberoſa, inæqualis, & juſto grandior reddita ſatis ſuperque produnt hoſtem intus latentem; Etenim niſi in *Lue venerea* non viſuntur, & tam propria ſunt, atque ſigna ejus *pathognomonica*, ut niſi *Gallica* Authoribus dicta nulla obveniant in Praxi. Accedit tuber quoque parte ſuperiori & anteriori tibiæ dextræ ejusdem indolis. Et quamvis nunc quidem blandiri videatur *Lues*: latat nempe interdum per annos, nec ulla ſui præbet indicia, prorumpit tandem ceu ex *Equo Trojano* virus, diu occultatum, & ſuæ virulentiæ poſt annos demum nonnunquam edit ſpecimina. Etenim illud in oſſium penetralibus, & imis medullis inſinuatum *hydrargyroſin* ſubterfugiſſe, exinde apparet, quia non diu poſt peractam *Salivationem* priſtinos in tibia ſiniſtra excitavit dolores tam atroces, ut lachrymas *patienti* expreſſerint. Deinde, peracta *Salivatione*, demum *Gummata* protuberârunt non alio niſi ex *ſemine* ♀reo egerminantia cum doloribus atrocibus; Ab eo tempore *Panacea* equidem *Pariſienſis* uſurpata fuit, qua dolores mitigati, nihilominus recrudueſcunt; ut taceam *gravitatem*, *infirmitatem*, atque *tumorem pedis œdematoſum*;

matoſim; quæ evaneſcerent *ſymptomata*, quamvis os grandius factum ad naturalem magnitudinem non rediret, niſi intus *virulenti* quid atque monſtroſi latitaret. Expers autem non eſt penitùs dolorum, etſi non tam atrocium, quam olim. Fortè *Perioſteum* arroſum, & ſenſu exquiſito, dolorum vehementiâ, orbatum fuit; uti apud *Podagricos* fieri ſolet, qui primis annis acutiſſimos, poſterioribus autem obtuſos ſentiunt dolores, ob deſtructas nimirum & plus nimis laceratas fibrillas nerveas. *Dolor* quoque, *infirmitas*, & *atrophia* brachii ſiniſtri nil boni portendit. Etenim, quamvis à lapſu ab equo ortum duxerint, poſtridiè tamen demum ſævire cœperunt dolores, & quidem nocturno tempore, qui à lapſu facti citius, & ſtatim ab eo percepti fuiſſent. Nec deſpicienda eſt ſeri ſubcruenti cum cruſtulis ex naribus crebra emunctio, quæ obſervatur ab hyeme præterita, qua in *Saxonia* enormes patrando commiſſi fuerunt exceſſus. Fortè ſerpſit *Lues*, & oſſa ſpongioſa obſidet; id quod frequenter in malo inveterato uſu venire ſolet &c.

Seriò igitur agitur, dum in tertio modò gradu verſatur malum, atque in oſſium penettalibus hoſpitatur & abſconditur *virus*, quà olim *hydrargyroſin* ſubterfugit, & medentum curas eluſit. Haud igitur moræ aut operæ ulli parcendum, hoſtisque latitans conſimili medicamento aggrediendus, quod quamvis parciori manu, tamen longius repetito uſu ſuggerendum, ut hac ratione remedii *virus* non extemplo é corpore iterum exturbari, æquabiliterque omnia vaſcula permeando ſenſim & pedetentim, quodcunque latet *virus*, ſubigere, penitùsque oppugnare queat. Quemadmodum & hoc contigit poſtea in præſenti caſu, ubi ex hujusmodi ☿*lia* applicandi mutata *methodo* proſperum ſucceſſum, feliciоremque effectum comperimus, dum *S.* abhinc omnis doloris expers munia ſingula nunc ritè iterum obire valuit.

OBSERVATIO V.

Lues venerea à Salivationis periculo, atque ærumnis ſuperatis, tandem ſanata.

Nobilis quidam *Bernas* (cujus nomen ſtudiò reticeo) 24. an-

norum, temperamenti Sanguineo-Melancholici, ſtaturæ proceræ, olim carnoſior, nunc autem gracilis, & extenuatus, militiam ac caſtra ſecutus eſt ab aliquot annis. Ante biennium *Pariſiis* degens ex impuro concubitu *Gonorrhœam* contraxit *virulentam*, qua per ſex menſes detentus fuit. *Lugduni* hinc eodem culpæ genere peccans eâdem pœnâ mulctatus eſt, ſupervenit tandem ſponte *Ulcusculum carcinodes* juxta balanum; curatum ſe ſe credidit, quòd impunè, & ab omni labe immunis diu vixit. Tandem dolores *venerei* invaſerunt, ac noctu præſertim, uti ſolent, moleſti fuerunt. In obſidione oppidi in *Flandria* graviter in brachio dextro ſauciatus fuit; totus nempe cubitus confractus in minutias, ac globulis aliquot conſoſſus fuit, adeo ut longo tempore à læſione fragmenta aliquot prodierint: Tandem vero brachium conſolidationem, ac valetudinem integram admiſit. *Gonorrhœa* ſponte ſubſtitit. Prægreſſâ hyeme gelu acerrimum pertulit, ac plerumque noctes inſomnes, doloribus ac cruciatibus diris plenas tranſegit; appetentia fuit dejecta, & ad *Tabem* properare viſus fuit. Ante aliquot menſes in patriam reverſo dolores quidem remiſerunt, at *virus*, quod carnoſas nuper ac membranoſas partes laceſſebat, ſolidas nunc, ac oſſeas rodit, & depopulatur. *Callus*, quo cubitus coaluit, manifeſtè aggrandeſcit, & in tumorem elevatur. Siniſtrum brachium eodem modo in tumorem aſſurgit. Tibia utraque in medio, parte anteriore, fit *nodoſa*; tumore item *Oedematoſo* tument circa malleolos pedis. Cæterùm totus quantus extenuatus videtur. *Gummata* obſident malleolos utriusque pedis, tibiam utramque; præſertim ſiniſtram ſterni partem ſuperiorem.

CURATIO.

D. $\frac{10.}{20.}$ Junii cum bono Deo curam per *Hydrargyroſin* auſpicati ſumus. Exhibui ſequentem *Ptiſanam laxativam*.

℞ *Fol. ſenn. mundat.* ℥ß.	*Rhabarb. El.* ʒj.
Flor. Roſ. pallid. violar.	*Prunor. Damaſc.* N°. *vj.*
Herb. fumar. āā *Mj.*	*Sem. Aniſi* ʒj.
Sal. Polychr. ʒij.	

Infund. c. *ſ. q. Aq.* fervent. colaturæ, factâ manè leni ebullitione, ℥vj. edde *Syrup. violar. q. ſ.*

Sumpſit, & abinde octies cum levamine dejecit.

D. 2do

D. 2dò ℥iij. ſanguinis detraximus.

D. 3. *Balneum* paravi ex *Hord integr.* modiolo *Herb. malv. BB-malv. violar. Parietar.* āā, *Mij.* Bulliant *c. Aq. f. Balneum*, quo utatur per horam m. & v. Ante ingreſſum *Balnei* ad majorem humectationem ſumpſit.

℞. *Hord. integr.*
Uvar. paſſar. ab arillis repurg. āā. *Mj.*
Rad. Polypod. cichor. gramin. Liquir. raſ. āā. ℥ß.
Herb. fumar Scabioſ. āā. *Mj.*
Fl. Roſ pallid violar. āā. *pij.*
Sem. Aniſi, Coriandr. āā. ʒj.
Coq. c. Aq. font. q. ſ.

D 4. uſus eſt *Balneis.*

D. 5. ingreſſus eſt *Balneum* ante & poſt meridiem. Hactenus benè ſe ſe habet; meliùs appetit, dormit, pedes circa malleolos *tument*; at verò oſſium *tumor* aliquatenus ſubſidere videtur.

D. 6. ſumpſit *Ptiſan. laxativam*: dejecit quinquies.

D. 7. *Balneo* uſus eſt cum *Ptiſana humectante.*

D. 8. itidem uſus eſt *Balneo*; cæterùm bene agitur.

D. 9. uſus fuit *Balneo* itidem.

D. 10. ſumpſit *Ptiſanæ laxativæ* ℥vj. Dejecit ſexies mucoſa, aquoſa. Duæ exortæ, quæ antea viſæ nunquam fuerunt, puſtulæ in radii dextri Brachii medio, ac ſpina oſſis ilium lateris ſiniſtri: quinimò dolores, qui antea ſopiti, ſæviunt noctu. Cæterùm paulò appetit, (*Balnei tepore* forſan *virus iſtud*, antè ſopitum, nunc excitatur, & è carceribus evocatur.)

D. 11. uſus eſt *Balneo.*

D. 12. *Balneum* ingreſſus eſt ante, & poſt meridiem.

D. 13. uſus fuit *Balneo.*

D. 14. ſumpſit *pilulas ex* ☿io *dulci*, ſexies *ſublimato*, *ad gr. xxiv. maſs. Pilular. Ceph.* ℈j. miſc. Hactenus nullos ſenſit dolores, dormit, appetit; ſed oſſa hinc inde protuberant: ſexies dejecit. Noctu dormivit; duo *phymata*, unum in coſta oſſis ilii dextra, alterum ponè metacarpum manûs ſiniſtræ dolent, ſuppurantur.

D. 15.

D. 15. circa octavam in ℥ij. *Ung.* ☿*lis* inunxi hypocauſto juncturas artuum, ac ſpinam dorſi per integram horam. NB Hodiè adhuc bis dejecit, ac effectum *pilularum* ſentit. Poſt *inunctionem* ſe ſe in lectum contulit, ac ſtragulis cooperuit, veſperi *inunxit* ℥ß.

D. 16. noctu benè dormivit, aliquando axpergefactus vomiturit. Aliquantulum proſtratior eſt hodie. Venter murmurat: cæterùm nihil novi perſentiſcit; pranſus eſt, atque cœnavit heri ſatis benè. *Inunxit* hodiè ℥ij. horâ 8vâ usque ad nonam cum dimidia. Pranſus eſt; appetitus tamen non ita vigebat; ſe ſe ſubmiſſiorem perſenſit. Circa 4tam *inunxi* ℥j. addidi ☿*ij currentis* ʒiij., adeò ut ☿ij ℥ß. hac vice impenderim, cùm ſatis humiliari mihi videbatur, quod ante *ptyaliſmum* requiritur. Noctu parùm cœnavit.

D. 17. noctu parùm dormivit, ſe ſe debiliorem ſenſit, juxta gingivas dolorem urentem percipere, ajebat. Occœpit *ptyaliſmus* circa 8vam; noctu ſqualorem oris potius ſenſit. Continuavit *ptyaliſmus* ad 4tam; eo minùs invaleſcebat. *Inunxi* circa 4tam ℥j., *addidi* ☿*ii* ʒij. Non autem multum debilitatus apparebat, invaluit ſtatim *ptyaliſmus*; dentes non ita fixi; appetitus diminutus; nulla patitur in ventre *tormina*.

D. 18. noctu ſatis benè dormivit, crebrò expuit, vix potuit loqui liberè; in faucibus *ardorem* ſenſit, ac *dolorem*, linguæ limbus *puſtulis* exuritur; genæ juxta dentium commiſſuram dolent. *Inunxi* ℥j. addidi ʒij. ☿*il currentis*; cæterùm ſatis benè ſe ſe habet. Veſperi ipſum inviſi; *ptyaliſmus* auctus fuit, ad ℔j. expuit, putreolet os, dentes, quâ parte gingivis infiguntur, nigricant, non adeò firmi, nec tamen vacillantes. *Ulcuſcula* albicantia hinc inde apparent. Alvum ritè depoſuit, hodie largiſſimè mingit; parùm tamen bibit. Surrexit; pro cœnâ aliquot tantùm cochlearia juſculi aſſumpſit; extra lectum diutiùs ſe ſe continere non valuit.

D. 19. noctu parùm dormivit; *ſalivavit* ſemper; dabilis exiſtit; *Saliva putret*, ac patet viſcida, turbida, ac craſſa; hodiè, quòd *Salivatio* plena, ac perfecta, ipſum non *inunxi*: mingit fuſè. *Lac tepidum* pro collutione, ac *oleum amygdalar. dulc.*, quo oblinivit gingivas, in uſum vocavimus. A ſeptima matutina ad 7mam veſperti-
[illegible] ututi

nam ℥xvj. *ſalivæ* excrevit: debilis fuit; de oris ardore, ac dolore multùm conqueſtus fuit. Nonniſi *juſcula* cum *conſummatis* aſſumit, c. *aq. cinam, confect. Alkerm. ſyr. violar.* pro *cordiali*.

D. 20. noctu dormivit interpolatim; *ſalivat* copioſè; Linguæ apex ſubtumidus, *ulcuſcula albicantia* obſident illum, lingua ſubtumida; dentes non adeò vacillant; erebrò ac fuſè mingit; ſitit, appetitus proſtratus. Sub veſperam, etſi hactenus non *minxi*, debilis fuit; pulſus languidus, æqualis tamen. Os exuritur puſtulis itidem, ut heri, & fortean plus ſalivæ excrevit; prægreſſâ nocte usque continuavit *Salivationis* filum.

D. 21. noctu dormivit mediocriter: *ſalivat* ſtrenuè; lingua tumet, ac ardet, apex præſertim. Abſtuli *linteamina*, ☿io *infecta*: heri enim debilis fuit; *Salivatio* autem ſatis copioſa. Poſt meridiem *gummatibus Empl. vigon. de Ran. c.* ☿io, addito *gumm. ammoniaco*, & *galbano*, applicui; tibialia indui: à nona matutina ad 7mam veſpertinam ℥xvj. *ſalivæ* excrevit; gena ſiniſtra tumet aliquantulum.

D. 22. noctu parùm dormivit; *ſalivavit* multùm; de oris ardore ac dolore conqueritur; alias ſe debilem ajit: pulſus naturalis. Hactenus uſus *conſummatis Galli* decrepiti, quæ nunc averſatur. Exhibui *Amygdalatum*, quod avidè ſumpſit. *Salivat* usque eandem lymphæ quantitatem: de vehementi oris ardore, ac dolore conqueritur; lingua tumet. Pulſus naturalis.

D. 23. noctu parùm dormivit; fuſè *ſalivavit*; vegetior hodiè exiſtit: à 4ta matutina ad 6tam cum dimidia veſpertinam ℥xxiij. *Salivæ* excrevit cum levamine: pranſus eſt *Panatell.* ex *Amygdal.* parat. c. *Amygdalato*. Veſperi ſitiit: Exhibui aq. pane toſto alteratam cum tertia parte vini *oligophori*. Vegetior eſt, & bene ſe ſe habet; excepto ore. *Saliva* putreolet.

D. 24. acerbam egit noctem, oris vitiis permoleſtam. Ceterùm *Salivæ fluxus* eſt continuus; nullam aliàs, ut nuper, perſentiſcit debilitatem; fuſiſſimè *ſalivavit*, & pelvim implevit.

D. 25. noctu mediocriter dormivit; lingua tumet, ac dolet, limbo *ulcuſcula* aliquot inſident. Ceterùm genæ, qua parte dentes ſuperiores

ſuperiores cum inferioribus committuntur, perſanantur, ante *ulcuſculis* obſeſſæ. Fari propter tumorem Linguæ difficulter poteſt; appetitus vegetior; modò citiùs aſſumere ac transmittere poſſet: ſitit: integram ſpuitione implevit pelvim.

D. 26. noctu dormivit, ſed inquietè, propter oris incommoda. *Salivat*, filo ex ore ad pelvim producto; *Linguæ tumor* nondum evaneſcit; Gingivæ ulceroſæ; putreolet os. Nihil conqueritur aliàs. *Gummata* vixdum evaneſcunt.

D. 27. noctu parùm dormivit; fluit *Saliva* ex ore perpetim, ac indeſinenter, ut integros pelves impleat. Appetitus eſſet bonus; ſed propter linguæ tumorem cibos transmittere nequit. Motus artuum liberior, & expeditior; nullos patitur dolores; ſed *Gummata* vix evaneſcunt.

D. 28. *ſalivat* ſtrenuè. *Oris ulcera* valdè moleſta. *Scamnum* immutavi: *linteamina mutavit*; *äerem*, *loca*, ac *decubitum exuit*, ☿io *infecta*. Exhibui *Decoct. ſudoriſer.* ℥vj. add. *fol. ſenn.* ʒij. Ter dejecit.

D. 29. noctu modicè dormivit. Exhibui *Decoct. ſudoriſ.* ℥vj. ſudavit per horam. Horâ 3tiâ, aut 4tâ iteravit ſudorem.

D. 30. noctu parùm dormivit; *ſalivat* mque; *linguæ mala* infeſtant. Sudavit hodiè à *Decocto ſudoriſero*. *Tophi* adhuc perennant. Veſperi feriatus eſt.

D. 31. noctu dormivit; ſatis benè ſe ſu habet. Sudavit in *ſudatorio* à *Decocto ſudoriſero*.

D. 32. noctu modicè dormivit; *ſalivat* usque ſtrenuè, & integros pelves implet. Manè non *ſudavit*, ſed veſperi. Os non ita exuritur, & ejus incommoda magis ſunt tolerabilia. *Gummata* nondum evaneſcunt, etſi ſtrenuè *ſalivet*, ſudetque benè.

D. 33. noctu modicè dormivit: Oris incommoda miteſcunt: *ſudavit in ſudatorio* à *Decocto ſudoriſero cum gr. viij. ſcammon. ppt.* Bis, aut ter dejecit: laſſus fuit, ac proſtratus. *Salivat* usque ſtrenuè.

Symp-

Symptomata omnia remiſerunt; ſed *tubera oſſium* vix sequantur; *Malleoli* per Dei gratiam detumuerunt. Motus artuum liberior: nullos ſentit dolores; appetitus bonus, & ſomnus ſarè naturalis: *Aphthæ* meliores quidem; nondum tamen perſanatæ.

D. 34. & 36. quievit. Mala oris miteſcunt: *Salivat* tamen usque: appetitus ſat bonus.

D. 37. & 38. dormit, appetit; artuum motus liberior. Heri ter ſpontè dejecit. *Salivatio* ſenſim diminuitur: ſurrexit, ac locum mutare affectat. Exſpatiatus absque ullo incommodo: ſummè emaciatus eſt; nullum ſentit dolorem; motus artuum ſatis liber, & *Salivatio* ſenſim minuitur: os perſanatur.

D. 39. noctu dormivit; ſomnus à *ſaliva*, os implente, interrumpitur: vires creſcunt; Appetitus valet.

D. 22. Julii profectus eſt. Subſliterat penitùs *ſalivæ* fluxus; linguæ & oris vitia curata; membrorum motus liber: tumor pedum evanuit; appetit; dormit: *tophus* autem pedis ſiniſtri non penitùs evanuit; nullum tamen ſentit ullibi dolorem. DEUS ulteriùs benedicat curæ peractæ, quò ſanitatis integræ cauſa exſtat. Ipſi honos, & gloria in ſecula Amen!

OBSERVATIO VI.
Diſtorſio Oris cum Hemicrania Venerea.

Perilluſtris quidam generoſus Dn. N. N. *Solodurenſis*, in Exercitu Regis Galliæ Chiliarcha, 32. annorum, ſtaturæ mediæ, habitûs olim pleni, facie ſubpallidâ &c., commoratus eſt in *Helvetia* usque ad annum ætatis 15. per quinquennium in Monaſterio ad Eremum fuit; hinc in *Galliam* conceſſit; per triennium in Collegio, & annos 15. militiæ in *Flandria* vixit; bis terve *febricitavit*, *quartanam* bis paſſus, quæ ab initio *continua*. Anno 1688. menſe *Novembr.* *Confluentiæ* contraxit *Gonorrhœam*; ſupremi tunc Excubiarum præfecti munere fungens, diu noctuque obequitavit; tractatus à Chirurgo *Electoris Colonienſis*, intra ſex hebdomadas admodùm convaluiſſe viſus

****

ſus eſt. Propter aſſiduas equitationes *tumor & inflammatio* teſticuli dextri acceſſit, quæ propter intenſos dolores per aliquot ſeptimanas ipſum lecto affixit; à qua ejuſdem Chirurgi dexteritate liberatus, integrâ poſtea uſus ſuit valetudine.

Anno 1691. menſe *Februar.* ex impura denuò *Gonorrhœam* contraxit: officium militare, quo fungitur, tunc ipſum ad obſidionem *Mons* vocavit, totamque æſtatem militiam ſecutus, malum neglexit. Menſe Julio *Ulcera* in *Glande* ſuccreverunt bina; *Auguſto bubo* in inguine dextro pullulavit, & retroceſſit; *Octobri Pariſias* conceſſit, & tunc demum valetudinis recuperandæ rationem inivit; permiſit ſe ſe Chirurgo de *Madame*, cui *Regner* nomen, quem celebrem ajit, atque peritum. Poſt repetitam *veneſectionem*, atque *purgationem*, balneavit per 12. dies; uncti abhinc artus, pedes, brachia, & ſpina dorſi *unguento* ☿*li*: ſecundo die feriatus, inunctionem tertio repetiit iiſdem in partibus, maximè tamen in affectis, inguine dextro, atque balano. Veſperi ſucceſſit *ptyaliſmus*; gena dextra juxta dentium commiſſuram *exulcerata* ſuit, ita tamen ut ſemper libere loqui potuerit. Ajit, tres interdum matulas *ſalivâ nychthemeri* ſpatio impleviſſe; non tamen ſufficientem exiſtimat, etſi contrarium tenuerit Chirurgus. *Symptomata* penitùs evanuerunt etiam à principio curæ ſeu *Salivationis*. D. 20. *Salivationis* die linteamina mutavit, & poſt unam vel alteram *potionem medicatam* ſanum dimiſit. D. 19. *Novembr.* profectus eſt in patriam lecticâ; appulit ſuitque per 14. dies ſaniſſimus: appetiit egregiè, & plùs quàm aliàs comedit, floruitque facies. Die 10. *Decembris* iter inſtituit *Friburgum* & *Bernam* ad inviſendos amicos: genio indulgere cœpit; bibit vinum hornum (Neſſwein vocant) & ſemel ad ebrietatem. D. 11. ſub veſperam equitans in nebula, capite non ſatis munito, capillitio factitio leviter tecto, *dolorem* acutum ſenſit ex *aure ſiniſtra*; nihilominùs noctu dormivit. D. 12. acceſſit *dolor capitis*, ſeu potiùs *hemicrania*, quæ hucusque, præſertim tempore nocturno à 5ta veſpertina ultra medium noctis pungendo hinc inde, potiſſimùm tamen ſupra orbitam ſiniſtram affligit, & tantoperè ſævijt aliquamdiu, ut quondam mente motus, tantam ſenſerit, *perturbationem*, ut togam cameralem, quam volebat nominare, neſciverit, & metum *Apoplexiæ* incuſſerit. Rediit ex itinere D. 14. æger. Die 15. adiit ſenatum; cui tamen vale-

dicere

dicere cogebatur; domi vomuit, etiam ſanguinis floridi aliquid rejecit. Brevi abhinc à ſomno meridiano *pars faciei ſiniſtra* intumeſcens, reſoluta fuit, ut oculum vix claudere, nec labia decenter adducere poſſit. *Otalgia* interea remiſit, ſed *Auditu* perdito: nunc in capite tempore nocturno affligit, & hinc inde compunctiones ſentiuntur. Ignarus rei geſtæ *Excell. D. D. Reinhard* ſuaſit *pilulas*, *infuſum laxans mannatum*, *venæſectionem* inſtituit; demum *pulveres Diaphoreticos ex Diaph. ♃li.* Tandem verò, detecto morbo, *Decoctum Lignorum*, injuncto ſudore ſuper *ſcamno*, ſuaſit.

Antequam filum *hiſtoriæ morbi*, ejusque tractationis proſequar, non è re fore cenſeo, ſi bina ſequentia *Conſilia Medica* præmiſero.

Conſilium Excellentiſſimi atque Celeberrimi Viri J. J. Wepferi, B. m. Avi noſtri, etiam poſt cineres veneratiſſimi.

Generoſi Dni. N. N. 11. *Decembris Hemicrania* in ſiniſtro capitis latere, pridiè prægreſſa *Otalgiâ*, *vertigo* 15. *Decembris* cum *vomitu* invadens, paulo poſt ſubſequente *Paralyſi* in facie, ob quam labia non adducere, & vix oculum claudere valet; item *perturbatio* cerebri, ob quam deliravit, & ſe aliqua Memoriæ labes prodidit, non tam erroribus in victu adſcribi debent, quàm alii cauſæ, intra Cranium latenti. Culpandum quidem eſt iter, non diu poſt abſolutam *Salivationem* initum: nocuerunt quoque neglectus vini horni, neglectus munitionis capitis contra frigus, unde quidem *Otalgiæ* & *hemicraniæ* in ſiniſtro latere cauſa externa & occaſionalis fuerunt. Verùm quoniam *hemicrania* veſperi incipiens adhuc perdurat, & ſævit ad medium noctis hucusque; quia 15. *Decembris* aliquid paralytici in facie obſervabatur, unde labia vix adducere, & vix oculum claudere valet, idque poſt vomitum & vertiginem; quia nunc *auditus* abolitus eſt, ſentit hinc inde *punctiones* in capite; quia denique 26. *Januar.* A. 1692. acceſſit perturbatio in *Cerebro*, unde deliravit, memoriæ labes obſervata fuit, ut *Apoplexiam* timuerit; vereor, præter ſtagnationem lymphæ in Cerebro intra cranium ☿ium non benè ex corpore eliminatum hæc interanea ſubiiſſe, vel ſaltem ejus particulas, lym-

phæ admixtas ibi detineri. Nam appetit mediocriter, Urina & pulſus naturaliter ſe habent, alvus ritè aperta eſt: ſi à *ſola lympha ſtagnante* orirentur, non tam diu duraſſent hæc ſymptomata, aut ſi continuò adhuc lympha acceſſiſſet, malum pejus evaſiſſet. Exacerbationes veſpertinæ ſunt *Luis ♀reæ* reliquiæ. Certè ☿. mihi valde ſuſpectus eſt; quia nimis præpropere poſt *Salivationem Pariſiis* diſceſſit. *Octobr.* illam auſpicatus eſt: nam *veneſectio* & *laxantia* repetita poſtularunt ad minimum dies 4. Balneavit dies 12. Inunxit 3. diebus; 20. diebus *ſalivavit*, adeò ut ad minimum linteamina mutârit D. 4. *Novbr.* hinc poſt 15. circiter *Pariſiis* diſceſſit, cœlo frigido, & borea perflante.

Petr. Caſtell. Medic. Rom. celebris in *Diſſertat.* I. p. m. 7. in mortuis ab *munctione* ☿*li* in Xenodoch. incurabilium *Romæ* ☿*io* ſcatere cavitates cranii & tibiarum invenit, quem allegavi in *Exercit* D. L. A. in *Apoplex* p. 303. Idem obſervavi in vicinia in cranio Comitis cujusdam de H. qui *Venetiis* ex *munctione* ☿*li ob Luem veneream* mortuus, eò delatus fuit: Nam cùm ſepulchrum ejus poſt aliquot annos recluſum fuiſſet, ut illic ſeponeretur & infans, unus ex famulis Aulicis dum arripit *cranium*, ex oſtio magno obſervat *pulverem nigrum* cum ☿*io* elabi; à ſpectaculo territus, *cranium* ad me defert, ex quo multùm ſuccutiendo collegi, huic *pulveri nigro* (auſim dicere) aliquot ℥*ias* fuiſſe immixtas.

Sive horum ſymptomatum cauſa ſit ſola *lympha*, ſiva cum ☿*io* juncta, utiliſſimam exiſtimo *curam ſudoriferam*, ſuper *ſcamno* peragendam; hæc meâ methodo eſt tutiſſima; illâ ſecundùm *Nicol. Maſſam* impinguantur, ut in alio Illuſtriſs. *Comite* expertus ſum: Ille *Viennæ* magno labore ſummè extenuatus, & admodùm debilis, huc viciniæ delatus, dictæ curæ beneficio brevì vires, & habitum plenum recuperavit. Idem apud *Sereniſs.* quendam *Principem* obſervavi, & apud plures alios, & ante annum apud *Perilluſtr. quendam Dn. Exercitûs Ducem*, & *ſupremum vigiliarum Magiſtrum.* Hic cùm ob profunda & ampla oris *Ulcera* ferè per 3. ſeptimanas nil niſi tantillùm juſculi deglutire poſſet, indeque valdè debilitaretur, poſt paucos dies, ſimul adhibitâ *Aquâ Viridi*, brevì convaluit, robuſtusque evaſit; & licèt præterito autumno *Heilbronnæ* quoque *febri caſtrenſi* ægrotâſſet, non tamen morbus inde recrudutt; ut à Suis ibi 28. *Septembris* comperi,

Quo-

Quoniam *Generoſus Dominus* N. N. jam ſatis ad hanc curam *laxante & venæſectione* præparatus eſt, pergendum omninò arbitror; & ſi conſultum vobis videtur, hac mea methodo 1mo. manè horâ 6tâ detur *Bolus* ex *Alexiter. Palmar. c. conſerva Roſar.* &c. mixto, quod hinc miſiſſem, ſi in parato fuiſſet, ad ʒjß. ʒij. vel quia illud deficit, tale parari poſſet. ℞. *Conſerv. Roſ. r.* ℥ij. *Confect. Bugloſs. Fl. Tunic.* āā ℥j. *Theriac. Andromach.* ʒij. *Diaſcord. Fracaſtor.* ℥j Pulp. pomor. Citr. No. *j.* mſc. dil. 2. Poſt horam dimidiam dentur ℥iv. vel *v.* hujus *Decocti*: ℞. *Lign. Guajac. gummoſ. & ponderoſ.* ℥ij. *Cortic. Guajac.* ℥ß. *Lign. Saſſafr.* ℥j. *Rad. Salſap. Chio.* āā. ʒvj. *ſem. fœnicul.* ʒij. Inciſ. & contuſ. infund. hor. 12. in Aq. font. ℔vj. Poſtea adde *paſſular. major. exac.* ℥iij. Coq. in vaſe duplicat. bene clauſo hor. 2. Colatur. ſervetur in fictili, aut vitro ad uſum. 3. Interea paretur *ſcamnum ſudoriferum*: imponatur ei ſacculus oblongus, *paleis infarctus*, tegatur linteo mundo, albo; *cyſti* ſub finem ſcamni indatur *bacillus*, plenus prunarum ardentium (indo ſæpe duas, vel tres) tegatur *ſcamnum* arcuatum linteis mundis, & inſuper culcitris denſis, ut calor detineatur: quam primum ſaccus bene incaluerit, *Perilluſtris Dom. Colonellus* ei incumbat; ita tamen ut caput extra corpus arcuatum exſertum habeat, incumbatque pulvinari; anteriùs caput verſus pendeant lintea munda, ne calor nimiùm faciem feriat. Interea foris corpori, ſeu machinæ arcuatæ imponantur lintea tenera, munda, ut calefiant, quibus ſudor faciei, & ſub finem totum corpus detergendum erit. Dum ſcamno incumbit, ſi calor nimius ſit, bacillus unus vel alter eximatur; ſi frigefiat, novus indetur. 4tò Dum incumbit ſcamno, ſæpè reficiatur uno vel altero cochleari hujus *Julepi*. ℞. *Aq. Scabioſ. fumar. fl. acaciar.* āā. ℥ij. *magiſter.* ♁. *Diaph. Pil. Reg. compl.* āā. ʒß. *conſ. de Hyacinth. compl.* ʒj. *Syr. Rub. Id.* ℥j. mſc. 5tò Relinquatur ſuper ſcamno ad bonam tolerantiam: novi, qui ad horas 2. manere poterant; præſtat tamen brevior mora: ſufficiet fortè hora. Antequam ſe à ſcamno proripiat, linteis calidis probè detergendus, & poſtea in lectum calefactum reponendus, & ſubinde *Julepo* reficiendus erit: obſervavi in lectum repoſitos cum fructu rurſus ſuaviter ſudâſſe. Si è lecto ſurrexerit, maneat tamen in hypocauſto temperato, ne pori claudantur, Sanguiſque ad interiora repellatur cum damno. 6tò Veſperi ante 4tam detur *Elect*, ʒj. & poſt

4dran-

Cauſa omnium enumeratorum Symptomatum *immediata diverſa* eſt equidem; doloris nempe furor atque ferocia ſpirituum animalium; Paralyſeos autem influxus eorundem impeditus, uti etiam ſurditatis & Symptomatum Apoplecticorum; *proxima* autem unica videtur; ſerum nempe extravaſatum circa ipſam ſubſtantiam cerebri, potiſſimum autem circa *quintum par* nervorum effuſum, illudque acrimoniæ haud expers; quia rodit, & lancinat, & olim atrocem *otalgiam*, nunc autem *hemicraniam* efficit. Semper præſens eſt cauſa; quia nervi 5*ti paris* ſunt, manentque reſoluti, & perpetuò gravedo quædam capitis, & obtuſus dolor ſentitur; certis autem temporibus, potiſſimum circa 5tam veſpertinam, rodit, atque pungit partes cerebri ſenſiles; non quòd certis tantum intervallis colligatur ſerum extravaſatum, ſed effervescat, & moveatur ſtatis diei horis; id quod cùm in morbis aliis, tum verò præſertim doloribus capitis, & hemicraniis haut infrequens eſſe ſolet. Dubitari equidem poſſet, an non ex motu febrili ſtatis horis dolor excitetur; etenim affectus inveſit ob exceſſu, & frigori ſe ſe intempeſtivè commiſit, vix egreſſus ex præcedente cura; vomuit inſuper, & appetitus fuit proſtratus. Præterea urina in ipſo Paroxysmo copioſa ac cruda, poſtea autem tinctior & turbata apparuit; alternis quoque noctibus graviùs afflixit dolor; nuper cum frigore, ſemper autem cum inſolita laſſitudine ingruit: quæ quidem phœnomena teſtantur de febri. Dubiam autem hanc opinionem facit; quia pulſus nunquam febrilis deprehenditur, & quamvis appetitus redierit, qui aliàs ſolet eſſe proſtratus in febribus, nihilominus dolores redeant veſperi; reliqua autem ſymptomata omnia à capite & genere nervoſo malè affecto derivari queant. Dantur inſuper dolores capitis periodici ſine febre; & quia cauſa in ipſo cerebro ex paralyſi perſpicitur, non opus eſt, ut alibi in maſſa ſanguinea inquiratur. Movetur autem ſtatis horis, & effervescit ſerum, non quia ſpiritus animales efferantur, atque ferociunt ſpontè: nam non irritati placidè conſpirant ad totius integritatem; aut quòd certis tantum temporibus colligatur ſerum, nam perpetuò præſens obſervatur ex Paralyſi, & indeſinenti capitis incommodo, ſeu dolore obtuſo: ſed quia etiam ſecundùm veterum Medicorum obſervata certi humores certis diei horis moventur, cujus phœnomeni abſtruſam cauſam invenerunt Recentiores in æthere. Nam in

pleris-

plerisque morbis obtinet, ut ſub diluculum, appropinquante verſus noſtrum horizontem ſole, nobisque vim ſuam vivificam affundente, melius ſe ſe habeant ægri; recedente autem, & occidente, nobisque vim ſuam ſubtrahente, magis ægrotent; tunc enim peregrinus, nobisque adverſus æther corpora pervadit, & humores exagitat. Pro diverſitate igitur humorum diverſis diei horis commoveri & exagitari poſſunt à diverſo ætheris influxu tum humores, tum ſpiritus, de quibus elegantiſſimè in *Collegio curioſor. Lentilius* differit. Potiſſimum autem humores, *veneno Gallico* infecti, ab æthere nocturno moveri ſolent, & exagitari: toto enim die, etſi perbellè valeant, tempore nocturno excruciantur crudeliter, atque mulctantur *Veneris* nepotuli, teſte experientiâ. Et inde fortè acrimoniam mutuatur ſerum effuſum circa baſin cerebri: quia nocturno tempore ingruit, ſævitque dolor, interdum mitius, interdum atrocius, plerúmque tamen ultra medium noctis, ſub diluculum autem conquieſcit. Simplicem *hemicraniam* eapropter non ſuſpicor; quia antè fuit ſaniſſimus, nec ullos generis nervoſi aut ſeri acrioris morbos perpeſſus eſt, ut hemicrania hæc ſoboles & propago eorum cenſeri poſſet. Utrùm penitùs exhauſtum, & expugnatum fuerit fermentum, ego quidem valdè ambigo; mitiùs enim *Dn. ægrum* tractatum fuiſſe, ipſe fatetur *Medicus*, & dubitavit *Dom. æger*. Præterea, vixdum peractâ *Salivatione*, dimiſit ipſum, poris adhucdum adapertis, & humoribus in fluxu adhuc exiſtentibus tempore brumali rigidiori; hinc præpropero itinere iſtum ſufflaminavit, & particulas venenatas, fortè poſthac effluxuras, repulit, magno recidivæ pericolo, monente *Sydenhamio*. Nec enim adulantem medicum, nec blandimenta requirebat affectus, Anno 1688. jam contractus. *Gonorrhœa* enim tum temporis ſiſtebatur equidem; ſupervenit abhinc teſticuli *tumor* & *inflammatio*, quæ per 6. ſeptimanas duravit, *Gonorrhœæ* conſectanea: equidem reſolutus fuit tumor; qua ratione autem abactum fuerit venenum, nemini conſtat: latitare enim poteſt diutius, citra ulla ſui indicia. Reſuſcitatum fuit Anno 1691. menſe *Februario*, & abhinc demum prorupit in nervum, & totâ æſtate neglectum longè latèque graſſatum fuit in corpore. Tandem verò, peractis hiſce omnibus, humores, qui *☿io* reſoluti, adhuc erant in motu, ſeu fluore, nocturno & aere nebuloſo minus munito capite coagulati, & in motu impediti ſtagnârunt, &

exun-

exundârunt primò circa auris ſiniſtræ nervum, & propter acrimoniam acutiſſimum dolorem, mox meninges cerebri imbuentes, dolorem capitis excitârunt. Denique nervi *paris 5ti* vel *7mi* penitùs inebriati, reſoluti fuerunt, & cum his faciei muſculi, auditu perdito.

Utrum ☿*ius* retentus circa cerebrum talia patrare poſſit? Hinc autem in cranii & tibiarum poris latitare ab inunctione ☿*li* obſervavit *Petrus Caſtellus*, & Excell. D. D. *Wepfer* D. L. A. in *Apopl.* p. 303. Generi præterea nervoſo infenſus experientiâ comprobatur; poteſt nempe nervis adhærens concitare mira ſymptomata, vertiginem, & perturbationes capitis; ut apud Illuſtriſſ. quendam *Comitem* à W. ſymptomata quoque varia ſyſtematis nervoſi; ut apud Monialem in Valle *St. Catharinæ*; dolores autem *periodicos*, & *nocturnos* excitâſſe, non memini, quin ſuſtuliſſe potiùs. Non ſinunt tamen eſſe ſecuros perturbationes ſpirituum animalium, quæ aliquoties obtigerunt, bis, terve.

Simplicis ſeri effuſio quoque dici non poteſt; etenim dolores non cieret, nec ſuas haberet exacerbationes affectus, veneni & reliquiarum indicio pathognomonico.

Indicationes igitur erunt 1mò, ut ſerum malignum, ſtagnans circa baſin cerebri, reſolvatur, atque diſcutiatur, unà operâ nervi obſtructi reſerentur; *ſurditati* ita, & *Paralyſi* conſulatur; ſimul particulæ, ſi quæ lateant, ☿*les* abigantur, & eliminentur. ☿*libus* hoſtem aggredi, aut *inunctionibus* minus tutum foret; nervis enim & cerebro infenſa, & hoſtilia, ſeu inimica obſervantur. *Salivationem* vetat *debilitas*, *vertigo*, *ſtupor manuum*, *aphonia*, *impotentia deglutiendi*, uno verbo, *metus Apoplexiæ*: facilè enim, motis humoribus, major fieri poſſet ſeri circa cerebrum exundatio, indeque Apoplexia.

Utramque facit paginam *cura ſudorifera*, quæ fores, ☿*io* præcluſas & humorum fluxui apperiunt, ſtagnantem lympham reſolvunt, ſimul venenum ♀*reum* expellunt.

Utatur igitur *Decocto antivenereo Frid. Hoffm.* tanquam ſpecifico m. ac v. ſudet ſuper *ſcamno*, maneat in hypocauſto, & bibat *Decoct. ſecundarium* vel *Chinæ*, *Saſſafr.* Suppetias ferent *Revellentia*, *frictiones*,

veſicatoria, *fonticuli in nucha*, *clyſteres*, *maſticatoria*, *pediluvia*, non neglectis reſolventibus, atque diſcutientibus externis. *Sacculus ſale* & *Baccis Juniperi* repletus, calidè imponatur parti paralyticæ. Curam claudet *purgans mannatum*, aut *Pilul. Cephalicæ*; abhinc *veneſectio* in pede.

Diarium ſuper ſtatum, progreſſum, atque curationem morbi Perilluſtris atque Generoſi, initio hujus Obſervationis haud nominati D. N. N. à Parente meo continuatum.

D. 27. *Januarii* Anno 1692. conveni *generoſum Dn.* Pallet facie, extenuatus, parte ſiniſtra faciei reſolutâ; oculus non poteſt claudi, & manet immota palpebra inferior, *diſtorſio* quoque oris apparet; ſurdaſter ex aure læſâ; vociferantem vix exaudivit, clauſâ dextrâ; in meatu auditorio nihil conſpicitur; nares naturaliter ſunt humidæ; nonnunquam ſternutat; gena ſiniſtra tumet; nullum ſentit dolorem ex artubus præter laſſitudinem, dum ſævit dolor; alias alacris eſt; *glandula maxillaris dextra* tumet inſtar *ſcrophulæ*; olim exulceratam fuiſſe ajit, & ante contagionem talem exſtitiſſe; appetit parum, non ſitit; alvus ex quo ſudat, pigrior, proin hodie *clyſtere* uſus fuit; dolor *capitis* horâ 8vâ veſpert. intenſus fuit; perpungit uſque ad dextram capitis partem; pulſus & urina naturales.

D. 28. *Januarii* hac nocte meliùs, quàm hactenus unquam dormivit; non doluit ex capite, niſi circa 6tam matutinam; Urina nocturna pallida fuit & cruda, matutina autem coloratior cum ſedimento; pulſus naturalis. Sumpſit *Decoctum*, & ſuper *ſcamno* egregie ſudavit heri atque hodiè. Toto die belle ſe ſe habuit; appetit in prandio. Hora 4ta *Decoctum* ſumpſit, & ſolitâ hora dolor redit; nonâ dormivit, quâ alias potiſſimum ſævire ſolebat dolor.

D. 29. noctu non dormivit propter dolores capitis; horâ 5tâ remiſerunt; ſumpſit *Decoctum* & ſudavit ſuper *ſcamno* per *horam* cum *dimidia* largiſſime. *Aq. Reg. Hungar.* lavi partem ſiniſtram faciei, & ſacculum ſiccum calide impoſui ex *ſem. Cymin. flor. ſambuc. Bacc. Juniper. ſale* ⚹*ci*. Appetit hodiè, & vegetior fuit. Urina, uti heri, in

ri, in paroxyſmo pallida & copioſior, poſt tinctior. Sumpſit *Clyſterem*; *veſicatoria* applicui carpis. Circa 5*tam* redit *dolor capitis*, ſed longè mitior; ivit cubitum horâ 7mâ.

D. 30 hac nocte benè dormivit; manè nullum dolorem ex capite ſenſit; dormivit usque ad 5tam. Bibit *Decoctum c.* ℥. *crudo*: egregiè ſudavit ſuper *ſcamno* per *horam c. dimidia*: in prandio appetiit, ſed parùm comedit de capella aſſa; veſperi poſt 3tiam ſe ſe infirmiorem ſenſit, & jam dolere cœpit ex capite; Urina, uti heri, tinctior fuit manè, & plùs quàm heri. Sumpſit *Decoctum* cum ℥. *crudo* paratum, hora 4tâ; horâ 6tâ cum dimidia ivit cubitum, dormivit usque ad 8vam; dolorem ex *veſicatoriis* ſenſit; *capitis dolor* non gravis fuit.

D. 31. *Januarii* circa 11mam inquietus fuit, & *inſomnia*, ſeu *ſubdeliria* habuit, ſurrexit, & iterum ſe ſe compoſuit; dormivit abhinc usque ad 4tam matutinam. Urina non admodùm cruda apparuit. Sumpſit *Decoct.* ante & poſt *ſcamni* uſum; egregiè ſudavit per *horam* cum *dimidia*, & abhinc quoque in lecto; dormivit pla idê usque ad 9nam; experrectus ſenſit *tremorem* labii inferioris; nec verba ſtatim potuit proferre; ſtatim tamen meliùs ſe ſe habuit. Surrexit, & pranſus eſt juſculum; à prandio malè habuit, *vertiginem* ſenſit, *laſſitudinem*, ſenſum *formicationis* in manu dextra, atque *ſtuporem*, lingua *titubabat*: varia excitatoria, *odoramenta*, *frictiones*, *inceſſûs*, & *ſpirituoſa* pro collutione oris adhibita fuerunt. Poſt horam ſenſim melius habuit. Noctu ſumpſit *pulver. cephalic. ex pulver. Marcb. ſpec. Diambr. cinab.* ℥.

D. 1. *Febr.* egregiè dormivit; horâ 10mâ, 2dâ, & 5tâ experrectus urinam reddidit, quæ nunquam pallida, uti nuper, ſed tinctior apparet; manè evigilans ne gry quidem mali, vel doloris ſenſit; appetitum vigere dixit. Sumpſit *pulv. Cephalic.* Hodiè inducias dedimus; in prandio appetiit, non ſitiit, neque bibit, præſertim nocte; *loquela* nonnihil difficilior videbatur, veſperi luſit chartis; parùm doloris ſenſit; ſumpſit *pulv. Cephal.*; ivit cubitum horâ 7mâ cum dimidia.

D. 2. *Februarii* horâ 10mâ urinam reddidit, dein 2dâ, & 5tâ matutinâ coloratam, non tinctam; dormivit ante & poſt mediam

noctem, ſed evigilans ſenſit compunctiones in capite; manè pulſus nonnihil excitatior videbatur. Quia *plenilunium* hodie cum *Ecclipſi*, à *ſcamno* abſtinui; *Decoctum* dedi horâ 5tâ, & ſtragulis operui; in prandio appetiit; veſperi doluit ex capite, ſed remiſſiùs.

D. 3. *Febr.* dormivit benè, evigilans tamen dolorem ſenſit capitis; à potione *ſudorifera* ſudavit in *ſcamno* per horam; in prandio appetiit; ſternutavit ſpontè, & mucus fluxit e naribus; alvus heri atque hodiè reſpondit. Præſcripſi *Empl.* ad *Scrophul.* ℞. *Gum.* ✱c. ℥ß. *Tacamabac. Ceraſ.* āā. ʒj. *ſem. ſtaphiſagr. Euphorb.* āā. ʒß. *Colophon* ʒij. ſolvatur *Gum* ✱*c. c. ſp. vin* vel ♃to. Reliqua *pulveriſ.* incorporentur. Veſicatorium Nuchæ applicitum egregiè operatum, ſed circa 6tam inſigniter doluit ex capite, ut decumbere cogeretur; Urina quoque copioſior & pallidior fluxit.

D. 4. *Februarii* noctu doluit ex capite; nihilominus ſatis benè dormivit; Urina manè coloratior, quàm veſpertina. Sumpſit *Decoctum*, & ſudavit ſuper *ſcamno* per horam; non tam benè legit, utroque oculo aperto, quàm alterutro clauſo.

D. 5. noctu interruptim dormivit usque ad medium noctis; tunc ſæviit dolor capitis usque ad 2dam matutinam, quâ obdormivit, & usque ad 5tam dormivit; ſudavit ſuper *ſcamno*, poſtea dormivit per duas horas; in prandio appetiit, & bene ſe ſe habuit; ante 5tam veſperi dolor capitis rediit cum frigore & tremore, & inſigniter ſæviit circa 7mam; ſumpſit juſculum, & ivit cubitum.

D. 6. *Februarii* noctu benè dormivit; ſumpſit *Decoct.* m. atque v.; ſudavit ſuper *ſcamno* egregiè; famelicus fuit in prandio, veſperi dedi ☿rem ex *Chin. Chin.* ʒß. *Cinab.* ☿. *gr. v. fl.* ✱*c. gr. iiij* Locò cœnæ ſumpſit juſculum, dolor horâ 5tâ rediit; non dormivit uſque ad 3tiam matutinam; circa medium noctis impenſiſſimè ſævit dolor ſupra orbitam dextram acutè. Veſicatorium in nucha in *fonticulum* fuit commutatum. Ter bibit noctu; crebrò minxit.

D. 7. *Februarii* à *Decocto* ſudavit. NB. *Decoctum* hodiè cum ℥io & ☿. ordinatum fuit, egregiè ſudavit; urina ſpicea fuit & copioſa, etiam matutina, quæ aliàs coloratior evaſit; eſurit ante prandium,

dium, & avidiſſimè comedit; veſperi ſumpſit *Decoctum*, hodiè ordinatum; *clyſterem* præmiſit; ſub ingreſſum lecti *pediluvio* uſus fuit; hodie vegetior fuit, & firmiùs inceſſit; benè dormivit, & dolor exiguus; multùm minuit.

D. 8. ſumpſit *Decoctum* ante & poſt *ſudorem*; pranſus eſt *ſpinach*: c. appetitu; à prandio non tantam ſenſit artuum firmitudinem; ſumpſit clyſterem; ſemper tantillum doluit ex capite; veſperi cum frigore intendebatur, & circa 7mam ſæviit: Dedi *pil. iiij. Theriac. cœleſt.*; ivit cubitum horâ 7mâ cum dimidia; ſtatim quievit, & dolor poſt primum ſomnum ceſſavit.

D. 9 *Februarii* 6tâ experrectus vegetus apparuit; ſumpſit *Decoctum* & ſudavit ſuper *ſcamno* (urina tempore paroxyſmi ſemper copioſa eſt, & pallida, poſtea tinctior) pranſus eſt cum appetitu; circa 5tam dolor ſiniſtrâ parte capitis, ſed brevis; cœnavit; uſus *pediluvio*, ivit cubitum indolens; dormivit usque ad primam. Doluit ex capite per horam.

D. 10. à ſumpto *Decocto* ſudavit egregiè: ſumpſit ſubindè *Mixturam confort.* ℞ *Aq. card. b. ſumar. fl. Acac.* āā. ℥ij. *magiſter.* ♁. *Diaph. Pil. Reg. complet.* āā. ʒß. *Cinab.* ♁. *gr. xv. confect. Alkermes* ℈ij. *Syrup. Rub. Id.* ℥j. mſc. Pranſus eſt modicè; ſumpſit *clyſterem*; veſperi quoque ſudavit ſuper *ſcamno*, doloris expers fuit; dormivit usque ad primam, tunc doluit ex capite, poſt mediam horam iterum obdormivit.

D. 11. *Febr.* circa 5tam adhuc doluit ex capite; ſumpſit *Decoctum* atque *ſudavit*, dolor inter ſudandum evanuit; pranſus eſt c. appetitu; horâ 5tâ bibit *Decoctum*, & ſudavit ſuper *ſcamno* per horam; ſternutavit, ſenſit tractionem in aure ſiniſtrâ; Veſperi parùm doluit ex capite, cœnavit, dormivit, circa primam usque ad 3tiam doluit ex capite; alias bene dormivit.

D. 12. ſumpſit *Decoctum*, ſudavit ſuper *ſcamno* m. & v.; pranſus eſt c. appetitu; Veſperi non doluit ex capite, neque noctu: adventârunt *Nobiliſſ. Dn. Fratres.*

D. 13. *Februarii* ſudavit à ſumpto *Decocto* m atque v.; benè pranſus, toto die benè ſe ſe habuit; non doluit ex capite, neque veſperi, neque noctu.

D. 14.

D. 14. ſudavit à *Decocto* m. ac v. largiter; uti hactenus, benè ſe ſe habuit; ſternutavit ſæpiùs; dormivit noctu; ante 11mam experrectus, parum ſenſit doloris capitis; alvus reſpondet.

D. 15. ſudavit m. ac v. ſuper *ſcamno*; appetit; alvus reſpondit; veſperi caput grave & obtuſum; dormivit egregiè.

D. 16. ſudavit ſuper *ſcamno* m. ac v.; bis dejecit; appetiit; benè ſe ſe habuit; melius me hodiè audivit aure ſiniſtrâ; dormivit, ſed cum inſomniis turbulentis.

D. 17. *Februarii* m. atque v. ſudavit ſuper *ſcamno*; famelicus fuit, ſed languidus; dormivit cum inſomniis; urina pauca nunc & rubra, ex quo dolor capitis ceſſavit.

D. $\frac{20}{10}$. *Februarii* hactenus nullos dolores capitis ſenſit; dormivit noctu; appetit; ſed manet *Paralyſis* ſiniſtræ faciei partis; difficulter *audit*; noctu inſomnia habet turbulenta, præſertim circa medium noctis, nec tam quiete poſt, quàm ante mediam noctem dormit.

D. 21. ſudavit m. ac v. ſuper *ſcamno*; uſus eſt manè *Decocto* cum ☿*io*; veſperi autem, omiſſo ☿*io* & ♁., quia dolores capitis plane ceſſârunt, nec niſi *Paralyſis* faciei supereſt, cui ☿*ium* minùs quadrare cenſuimus; unde reliquum curæ *ſimplici Decocto lignorum* abſolvendum, propoſuimus. Benè dormivit usque ad primam, tunc urinam reddidit, bibit, abhinc minùs quietè dormivit; caput obtuſum fuit; non tamen dolorem nominare potuit. Hodie tres *puſtulæ* in regione lumborum juxta ſpinam dorſi apparuerunt c. pruritu, quæ hac nocte *ichòrem* fuderunt.

D. 22. *Februarii* ſudavit m. ac v. ſuper *ſcamno*; à ſudore caput levius fuit; pallet autem facies, & *Glandula Maxillaris* eadem; *puſtulæ* in dorſo *ichorem* fuderunt; ſed melius *audivit* hodie; duæ *puſtulæ* jam ſiccantur; nuper juxta *fonticulum* in nucha quoque *puſtula* inſtar *vari* apparuit; appetit. Noctu dormivit usque ad primam; dein per mediam horam vigil gravitatem capitis cum nonnullo dolore ſenſit; poſt 2dam dormivit usque ad 5tam cum dimidia; ſubinde tamen evigilavit.

D. 23. ſudavit ſuper *ſcamno* a *Decocto lignorum* ſine ☿*io* & ♁. *crudo*, quod tamen repetendum, è re duximus; veſperi cum ☿*io* & ♁. paratum ſumpſit; dormivit ſine dolore a nona usque ad primam no-

ctis

ctis cum dimidia; evigilavit ad reddendam urinam; poſtea caput grave fuit, & doluit in fronte attactu, nec *puſtula* in dorſo exaruit; à 3tia usque ad 5tam dormivit; evigilans caput adhuc gravatum ſenſit.

D. 24. *Februarii* Anno 1692. ſudavit à *Decoct.* c. ☿*io* & ♄. m. ac v.; noctu benè dormivit abſque dolore.

D. 25. *Febr.* à *Decocto* cum ☿*io* & ♄. ſudavit ſuper *ſcamno* m. atque v.; bibit inſuper NB. *Decoctum Saſſafr* c. ☿*io* pro potu ordinario. Exſcidi tumorem juxta *Glandulam Maxillarem*, quem *ſteatoma* fuiſſe comperi; *folliculum* egregie ſeparavi undique, qui materiem ſebaceam continuit; ferè ad *ovi columbini* magnitudinem acceſſit; egregiè appetit, & noctu ſine ullo dolore benè dormivit, quod NB. *Decocto c.* ☿*io* tribuo. Sponte ſudavit noctu.

D 25. *Febr.* ſudavit iterum m. ac v. *c.* ☿*ii Decocto*; nullum dolorem ex *vulnere* ſenſit; veſperi poſt *ſcamni* uſum in lecto diffluxit ſudore, & ſe ſe inde fortiorem ſenſit; caput quoque fortius; eſuriebat; dormivit abhinc totâ nocte; poſt 2dam reddidit urinam, inde dormivit usque ad 6tam matutinam; bibit *duo vitra*.

D. 27. ſudavit à *Decocto* ☿. m. & v.; benè ſe ſe habuit; copioſè dejecit; noctu minùs dormivit propter *fonticulum*.

D. 28. m. & v. ſudavit; bellè ſe ſe habuit; totam noctem edormivit; manet *diſtorſio* oris.

D. 29. ſudavit ſuper *ſcamno* m. & v. largè; noctu egregiè dormivit, ſed dolent attactu omnes partes reſolutæ; *puſtulæ* in dorſo evanuerunt, nec ex ulla parte dolet; meliùs audit ſiniſtra.

D. 1. *Martii* Anno 1692. ſudavit m. ac v. à *Decocto*; tardiùs ivit cubitum, hinc cum inſomniis dormivit; caput adhuc debile ſenſit.

D. 2 ſudavit ſuper *ſcamno* m. atque v; impinguatur, etſi parùm comedat, *vulnus* in *maxillâ* læte ad *conſolidationem* properat; totâ nocte dormivit.

D. 3 ſudavit à *Decocto* ſuper *ſcamno*, additis ☿*io* & ♄. *crudo* tam *Decocto*, quàm potui ordinario, toto die validior fuit; dormivit usque ad 11mam; poſtea doluit ex capite usque 3tiam, quod à 3bus ſeptimanis nunquam contigit. (Hodiè *plenlunium* fuit.) Poſtea benè dormivit usque ad 6tam.

D. 4 *Martii* 1692. ſudavit m. atque v. ſuper *ſcamno*; benè ſe ſe habuit; veſperi circa 6tam ſumpſit *clyſterem*; noctu benè dormivit, nil doloris ſenſit.

D. 5. ſudore diffluxit, inde benè ſe ſe habuit; ſed manet oris *diſtorſio*; *vulnus* conſolideſcit; nocte ſæpius evigilavit abſque dolore.

D. 6. ſudavit m. atque v.; benè ſe ſe habuit; dixit noctu circa 6tam ſe ſe infirmiorem, & caput gravius perſentiſcere, nec dormire quiete poſt undecimam; dormivit tamen usque ad primam cum dimidia, poſtea usque ad 3tiam.

D. 7. *Martii* Anno 1692. ſudavit ſuper *ſcamno* à *Decocto* c. ☿io & ♄., continuaturus ita per *Martium* menſem; benè ſe ſe habuit; *vulnus* penè coaluit. Valedixi.

D. 7. *Junii* Anno 1692. ſcribit d. d. 3. *Monſieur le Colonel eſt parfaitement bien reſtitué, hors la bouche; cependant elle va de beaucoup mieux; il part après demain pour* Pfäffers: quod latinè ita ſonat: *Dn. Colonellus* optimè reſtitutus, excepto ore, quod interim multò meliùs ſe habet; profecturus eſt perendiè ad *Fabarium*.

D. 11. *Junii* in itinere ad *Pfeffers* ipſum vidi *Scaphuſiæ*. Vegetus eſt & belle valet, exceptâ *Paralyſi* faciei, quæ eadem: à *quatuordecim* diebus *puſtulæ* in virga, & ſcroto apparuerunt non probæ notæ; cum nulla rem ſe habuiſſe dejerat; ſuaſi *Aq. divinam Fernelii*. Perrexit ad Thermas *Fabarias*.

Epitome Reſponſoriarum Parentis mei ad Medicum quendam ipſi familiarem, Perilluſtr. D. Colonelli N. N. naturam morbi deſignans.

De *fluxione*, quam vocant, in itinere per nebulas, capite minùs munito, ſub veſperam excitatâ, nemo dubitat; quâ ratione dolores *nocturnos* pepererit, dubitantem *Curatio* morbi certiorem reddidit, ut non amplius neceſſe ſit, remedia *Pariſiis* repetere.

OBSER-

OBSERVATIO VII.

Dolor capitis venereus Salivatione ſanatus.

Generoſi cujusdam D. Chiliarchæ uxor, 47. annorum, cui menſtrua jam ab aliquot annis defecerunt, *hemicraniæ* obnoxia fuit, & ceu deſpumationi, quam das Gewülck vocant, cum puſtulis in parte capillata ſuppuratis, & exulceratione faciei, glandularumque colli intumeſcentia; duravit dolor per triduum vel quatriduum; interdum diu emanſit; inderdum rediit intra dies 8. vel 14. *Gonorrhœam* contraxit ex marito, qua materiam flavam, ſubviridem, craſſam per muliebria excrevit; ſubſtitit fluxus, præſertim ab injectione, & rediit ſpontè ſuâ. *Thermas* adiit noſtras. Menſe Majo Anno 1693. tertio inſeſſûs die ſubſtitit fluxus ad miraculum usque. Tertiâ hebdomadâ acceſſit *maritus*; poſtridiè rediit idem fluxus eâdem vehementiâ, copiâ, & colore, absque ardore, exulceratione, atque dolore, magis ſubviridis, quàm flavus; cæterùm optimè valuit; vix quinquies balneum repetiit, & ſtatim perſanata fuit, & ſubſtitit ad hoc usque momentum fluxus: dolere cœpit ex capite 14. dies cum horrore, antequam ad *Thermas* pervenit, ut vectionem in rheda vix tolerare potuerit: non meliùs ſe ſe habuit, quàm in balneo: duravit dolor capitis toto balneationis tempore, ut dum alii exhilerati fuerunt, ipſi decumbendum fuerit in lecto. Dolor fuit in toto capite, quaſi ulceroſus, non pungitivus, nec ardens in ſincipite, diverſus à priſtina *hemicrania* lateris dextri; abhinc pervaſit muſculos colli; dolor fuit conſtrictivus, qui non diu duravit: *favi & achores* apparuerunt, uti olim. Rediit à *Thermis* ſaniſſima; Rediit autem dolor capitis hebdomadatim bis, interdum quotidiè. Heri ſana evigilavit: circa nonam dolor capitis inceſſit cum horrore, atque ſiti: parum pranſa fuit; ſub quartam ſævijt dolor impenſè lancinans ſecundùm colli muſculos ad ſpinam dorſi, ut collum movere non potuerit: (auditum minus acutum habet à longo jam tempore.) Brachii dextri ſtuporem ſenſit: non dormivit præ dolore usque ad quartam matutinam; abhinc dolorem nullum perſenſit ad hanc usque horam, quâ ipſam conveni. Conveni autem d. 1. *Sept.* An. 1693. decumbentem inveni. Nunc ne gry quidem doloris percipit: pu-

********* ſtulæ

ſtulæ hinc inde in parte capillata viſuntur, etiam verſus collum; materiam ſubflavam inſtar furunculorum fundunt; cæterùm pancraticè valet; urina hodierna tinctior eſt, & turbata. NB. Chirurgus præmiſſo infuſo laxativo, & ſingulis 8. diebus reiterato, ſuaſit *Decoct. Rad. Taraxac. Acetoſ. Herb. violar. Agrimon. Plantag. acut. & lat. Rad. Symphyt.*; ad menſur. ß. materiei unà vice excrevit. Ab uſu *Decocti* meliùs ſe ſe habuit, & pinguefacta fuit; fluxus diminutus, non tamen penitùs ceſſavit; ſub finem in fila diduci potuit.

D. 2. *Septembr.* circa primam noctis rediit capitis dolor, minùs acutus, quàm heri manè; horripilationem ſenſit, & ſubſecutus eſt ſudor; ſuaſi *Pulv. Cephalicum.*

D. 12. *Septembr.* inviſi *Nobiliſs. Matronam*; poſt *pilul.* ex *Extract. Catholic.* & ☿. *dulc.* ãã. *gr. xv.*, ſumpſit m. ac v. *pulv. milleped.* ℈ß. ☿. *dulc. gr. v.*; ſuperbibit *Decoctum ſalſep.*; & m. ac v. balneavit per horam, 9. dies. Hactenus dolor capitis rediit ſingulis ferè noctibus horâ circiter 7mâ; duravit plerumque usque ad 4tam matutinam; poſtea præter laſſitudinem meliùs habuit: tubercula ſcrophuloſa hinc inde inter muſculos colli tanguntur; ulcera capitis fere exaruerunt; dolor circa aures quaſi perforans ſecundum muſculos colli totum ſinciput occupat. Heri, omiſſo balneo, ſumſit *laxativum*; non appetiit; urina ab heſterno laxativo tinctior & craſſior; non benè habuit ex ſtomacho, & toto corpore. Inunxi juncturis ſingulis ʒj. *Unguent.* ♃*lis.*

D. 13. *Septembr.* urina adhuc tinctior & rubra: dolor capitis non adeò fuit acutus; ſed malè undique habuit. Heri de pullo comedit. Inunxit hodiè iterum juncturis ſingulis ʒj.

D. 14. 15. & 16. perrexerat c. *Unguent.*. ʒj. ſingulis articulis inungendo. Veſperi pruritum gingivarum ſenſit, & intumeſcentiam genarum; *ſalivare* tunc cœpit leniter; noctu non dormivit propter tenſionem muſculorum *Maſtoideorum.*

D. 17. dentes vacillare cœperunt, Lingua intumeſcere. Hodiè adhuc unguento uſa fuit: tota die malè habuit; noctu parum dormivit; circa 3tiam matutinam vix loqui potuit præ debilitate. NB. 6. frictiones ſuſtinuit, inſumptâ ſingulis vicibus *unguenti unciâ unâ.*

D. 18.

D. 18. tumor Linguæ ac genarum continuavit; labium inferius ulcuſculo obſeſſum albicante; *ſaliva* ſpiſſa eſt; fœtet halitus; pulſus debilis, ut ſolet eſſe; urina hucusque craſſa & rubra; cæterùm bellè ſe ſe habet, niſi quòd vix poſſit eſſe extra lectum; caput quoque grave ſentit, præſertim circa occiput.

D. 1. *Octobr.* inviſi *Nobiliſs. Matronam*; ex quo abfui, ingentem ſenſit ardorem ex ore, & plùs quàm ℔iij. vel ℔iiij. nycthemeri ſpatio *ſalivavit*; ſingultus nuper brevi ceſſavit; dolor capitis remiſit ſtatim. Nuper Diarrhœam habuit per unum diem, heri abſtulerunt linteamina ☿lia: *ſalivat* adhuc copioſe; eſurit, ſed comedere non poteſt; ſitit, nunc remiſit; urina tenuis, ferè naturalis; os mundum;. Aphthæ diſparent, ſed rutilant labia & genæ. Suaſi continuationem *Diætæ* usque ad 30. *Salivationis* diem; poſtea ſudorem per octiduum.

D. 7. *Octobr.* ipſam inviſi. *Salivavit* per 22. dies indeſinenter; *ſudavit* ſpontè à 5. vel 6. diebus; heri ceſſavit *Salivatio*; lingua adhuc tenera rutilat; appetit egregiè, ſed nondum poteſt manducare; alvus rectè reſpondet; noctu benè dormit; (**Sie glauben nicht, wie mir ſo wohl im Kopff iſt**) ſtatim à Salivationis initio graviores dolores ceſſârunt; poſtea ſenſim evanuerunt; jam antè octiduum dolores ceſſârunt penitùs. Hactenus faſſa eſt, ſibi nunquam per totam vitam tam benè fuiſſe ex capite, quàm nunc à peracta *Salivatione*.

Ex quibus pâtet, quòd cùm mali *pullities* etiam circa capitis partes potiſſimum innidificata fuerit, *Mercurius* mobilitatis ſuæ dotibus ex Aortæ trunco per inde recto tramite aſſurgentes Carotides maximè commotus, licèt magna ſui parte *Salivationis* ope brevi iterum è corpore eliminatus fuerit, locum præcipuè affectum aſſiduò contingendo, labem penitùs extinguere valuerit. Cui quidem extirpandæ ☿*ium* & antè enatam Salivationem internè uſurpatum, opem ſilam contuliſſe, veroſimile videtur.

OBSERVATIO VIII.

Gonorrhœa inveterata, ubi B. m. Parentis mei, Inunctiones inſtituendi, uſitata olim methodus deſignatur.

Nobilis quidam Vir &c. antè ſeptennium *Gonorrhœam* contraxit *virulentam* ex impuro concubitu. Curæ ſe ſe cujusdam commiſit. Non diù poſt iter plurium leucarum perfecit. Subinde malum recruduit, nec usquam penitùs ſiccata fuit viroſi tabi camarina, quin perpetim humor quidam prodiit ex Glande. Interdum cruentari videbatur urina; nuper ſincerus à liberaliori vini potu cruor fluxit, qui antè cohibitus fuit. Conqueritur aliàs de levi quodam dolore, modò has, modò illas partes lancinante: dolet præſertim in fine mictionis circa collum veſicæ: ſubinde humor, ſed pauciſſimus prodit; interdum ceu glutine quodam occluditur, & quaſi obſignatur oſtium urethræ. Dolorem levem nonnunquam ſentit in inguine utroque, qui nonnunquam ad ſiniſtrum usque teſticulum extenditur. Dolet inſuper in regione Lumborum. Cæterùm benè ſe ſe habet.

Conſilium.

Affectum, quo *Nobilis Dominus* jam à 7. circiter annis tenetur, eſſe *Gonorrhœam inveteratam*, vel exinde colligitur, quia ab hac Labes originem traxit, nunquam autem perfectè ſanata fuit; quin usque aliquid viroſi ſordidæ proſtatæ eructàrunt per *Urethram*, ut nonnunquam vel Guttula puri profluat, crebrò autem oſtium Urethræ ceu glutine quodam obducatur; id quod in hujusmodi *Gonorrhœis inveteratis* ſæpe ſæpius mihi obſervare contigit. Frequentiſſimè cura ſiniſtrè ſuccedit, ſi antequam perfectè perſanata fuit, iter plurium leucarum equo perficiatur; quoniam equitatione pars affecta laceratur, & ita vulnus reſricatur; quod & in memorato caſu accidit.

Cauſa non videtur ulcus quoddem inſigne proſtatarum: quia in *perinæo* duriusculè contrectatus acerbiùs doleret; plùs inſuper puris funderet, ſecus atque hactenus obſervatum fuit. Negandum tamen non eſt, factam fuiſſe in *proſtatis* ac tubulis ſeminalibus levem aliquam exulcerationem, eò quòd indoles viri venerei ſit, partes rodere,

dere, & lacerare. Id perſuadere videtur, quòd interdum cruor promanat plerûmque parciùs, nuper verò largiùs; cui anſam præbuiſſe vini uſum liberaliorem, non abſque ratione creditur. Hæmorrhagia autem illa aliter facta non fuit, niſi quòd vaſcula ſanguifera circa loca affecta jam arroſa fuerunt à virulento tabo, ut accedente *cauſâ externâ*, ſanguis fervidior haut difficulter eòdem proruperit. Diu nonnunquam, & impunè geſtatur, graviora aliàs minitans mala, quòd præſertim humor contagio infectus ſtillat, & extra corporis pomeria ablegetur. Accidit tamen nonnunquam, ut ſanguini in tranſitu ſuo virulentæ quoque affigantur, ac inſpirentur particulæ, quæ lege circulationis cum reliqua maſſa confunduntur. Nec tela ſua ſtatim exſerit, & partibus affigit *Lues;* ſed ſæpè diu abſque ullo ſui indicio in ſanguine natitâſſe, parteſque impune tranâſſe, obſervatum fuit. Quin etiam particulæ intromiſſæ diu, interdum iterum diſentiuntur, & per cutis ſpiracula in auras diſſipantur; donec tandem congeries eousque excrevit, ut ab iisdem liberari nequeat & exui cruor.

Noſtrum quod attinet *Nob. Dominum*, ſuſpectæ cuidam videri poſſent iſtæ in diverſis corporis partibus uſtulationes, ac compunctiones, præſertim in tibiæ parte excarni, lumborum item dolores, qui hucusque à primis initiis perſeverârunt. Etſi enim nonnullæ particulæ virulentæ hinc inde cum ſanguine deferantur, neque partibus ipſis affigantur, utpote easdem ſtatim iterum excutientibus, verendum tamen foret, ne vel pauxillum fermenti totam maſſam inquinet, tandemque noxam partibus diu petitis ac enervatis affigere poſſet.

Tempeſtivè itaque vel initiis occurrendum, ne malum, quod adhuc in *Herba*, tandem aliquando erumpat in nervum. In uſum itaque vocentur abſque procraſtinatione *pillul. à D. D. Wepfero* præſcriptæ, quæ malignas particulas per urinas & ſudores partim fugant, ſimul proſtatarum exulcerationem perſanant.

℞. *Extract. Guajac.* ʒij. *Diaphoretic.* ♂*lis* ʒiij. *Pulv liquirit.* ʒj. *c. Terebinth. venet.* ℥ß. *q. ſ. f. pilul. conſperg. Pulv. liquirit.*

Superbibat *juſculum* alteratum juxta methodum, ab ipſo *D. Wepfero* deſignatam.

Sin verò nec ita malum cederet, quin potiùs in crebeſcere videretur,

retur, cura tunc anniverſalis non diutiùs differenda foret. Si tempus ſeligendi copia datur, vernale, & autumnale optimum cenſetur.

Suaſerim præ aliis *Ptyaliſmum*, quo virus venereum è corpore fluere ac eliminari, vel oculis patet; qui ut ad votum ſuccedat, ſequentes regulas conſtituimus.

1mò. Purgetur per triduum c. *Decocto Tamarindor.*

℞. *Fol. ſenn. mund.* ℥vj. *Rhabarb. el.* ʒij. *Tamarind.* ℥j.
Herb fumar. Scab. Fl. Borag. Bugl. āā. *p. j. Fl. Roſar. pallid. mj.*
Rad. Polypod. quer. Liquirit. raſ. āā. ʒiij. *Cortic. citr. rec.* ʒiij.
Sem. Aniſi ʒj. *Cremor.* ♀*ri.* *Sal. Polyckreſt.* āā. ʒij.

Inciſ. & contuſ. infundantur in *Aq. ferv.* ℔iij. per noctem; manè adde *vini alb.* ℔j. *f. lenis Decoctio. Colatur* adde *Syr. Roſar. ſolutiv.* ℥ij. De hoc ſumat per triduum manè quantum cyathus capit, cum regimine.

2dò. Vena brachii abhinc ſecetur; nec niſi ſanguinis ℥v. mittantur.

3tiò. Perendie ſumat ſeq. *pilulas*:

℞. *Extract. Catholic.*
☿*ii dulc.* āā. ℈j.
Miſc. f. pilul. deaurentur.

Interea ſeq. paretur *Unguentum*

℞. *Unguent, Roſar.* ℥iij. *Mercur. current.* ℥jß. *dulc.* ʒij.
Ol. Laurin. ℥ß. *ſtill. Caryoph. Rorismar.* āā. *Gtt.* iij.

Teratur ☿ *dulc.* ſuper porphyrite. Adde abhinc ☿. currentem, qui ſubigatur, ac probè incorporetur cum *Ung. Roſato*; adde abhinc *Ol. Laurin.*, tandem *deſtillata*; ſingula probè incorporentur.

4tò. Altero poſt pilularum uſum die inungantur nonniſi juncturæ manuum pedumque calidè; obtegantur abhinc linteis, & involvantur partes inunctæ. Impendatur ſingulis vicibus ℥j. *Unguent.* De die nonniſi ſemel fiat inunctio.

Quam primum *Salivatio*, aut aliqua in ore moleſtia oriatur, ab ulteriori inunctione deſiſtendum: huic verò tardanti calcaria iteratis inunctionibus addenda.

Interea vitetur uſus aëris externi, tempore præſertim pluviali, atque frigido.

Victus

Victus ſit tenuis; veſcatur tunc temporis præprimis elixis, gallinarum, vitulinâ, carnibus, pro prandio, atque cœna: præſertim autem ova ſorbilia commendantur. Vitanda ſalſa, acida, aromatizata, cruda, fructus horræi. Bibat *Decoctum Rad. Chinæ*, cujus ʒij. *coq.* in *Aq. menſur. j.*

Hydrargyroſis ita 10. aut 15. dierum ſufficere poſſet.

Poſthac ſcena mutanda; linteaminibus mundis induatur; antè autem mutare non licet.

Utatur abhinc victu exſiccante; veſcatur aſſis potiùs, quàm elixis, & per 5. dies utatur *Decocto Ligni ſancti.*

℞. *Ligni ſancti* ℥iij.
Rad. Sarſaparill. ℥j.
- - *Chinæ* ʒij.
Cortic. Ligni ſanct. ʒiij.
Uvar. paſſar. ab arillis repurg. ℥ij.

Indantur Lagenæ ſtanneæ; affunde *Aq. fervid.* ℔vj. ſtent per noctem in digeſtione. Manè per 2. horas coquatur. Sumat manè, quantum cyathus capit, ac ſudorem proliciat, coopertus ſtragulis. Bibat *Decoct. ſecundar.*, affuſis prioribus ſpeciebus *Aq. font.* ℔viij, Adde *cinam.* ʒij. *flaved. citr.* ʒiij. Bulliant adhuc ſemel.

Abhinc aera fruatur libero: Diaphoreſis ut ſit libera, præprimis curetur.

Si vitia oris nimis moleſta, convenit, *lac tepidum* ſubinde capeſſere, locó gargariſmatis. Convenit quoque *Decoct. Hordei* cum *Rubo Canino*, & *melle.* Et hæc ſunt quæ ad *Hydrargyroſin* ad radicitùs extirpandam *Luem* quoque inveteratam faciunt; quæ ſi ſcitè a perito artifice adminiſtrentur, nullùs dubito, quin votum expleant. Deus addat ſuam benedictionem.

OBSERVATIO IX.

Gonorrhœa cum Tumore Teſticuli.

Generoſus quidam *D. Colonellus*, natione *Helvetus*, 45. annorum; tempe-

temperamenti *Sanguineo-Melancholici*, ab aliquot annis ſecutus militiam meliùs ſe ſe habuit, quàm domi otioſus; ubi nunquam non *ſymptomata hypochondriaca* paſſus eſt, abſorptus *melancholiâ*. Ante *duos* menſes contraxit *Goaorrhœam virulentam*: ab initio nonniſi guttula una vel altera exiit, preſſâ virgâ; poſtea effluxit flava, ſubviridis; uſus fuit *pilulis* ex *Therebinth. Rhabarb.* & ☿. *dulc.*: acceſſit *ardor* in balano ante & poſt mictionem. Infecit uxorem: poſt 15. dies *Schafuſiam* venit equo citra dolores; Miſit *Venerandus D. D. Wepfer pilulas*; quibus uſus per 5. dies, equo confeſtim adiit *Excell. Dom. General. à Stadel Vilingam*; nullis uſus eſt in itinere medicamentis; bibit *Decoctum ſecundarum*, modò vinum, modò alia; crevit *ardor urinæ* in reditu cum puncturis ante & poſt mictionem in balano & radice penis; *injectiones* dolores exacerbârunt: & ſubitò ſubſiſtit *Goaarrhœa* cum *ardore intenſiſſimo* inter mingendum, & aliàs; ſumpſit *pulveres Diaphoreticos*; penem lacti immerſerunt abſque levamine. Suaſi tunc temporis *anti♀rei gr. iij.* quotidiè c. *Decocto Salſæparill.* m. ac v.; ſtatim à *pulvere* ſenſit levamen; præſertim *teneſmus* relaxatus fuit, & ſenſim *dolores* imminuti fuerunt. Quondam urina vix ſtraminis craſſitiè inter mingendum effluxit; quod etiam diſparuit *phænomenon*: ſentit in *perinæo* dolorem, ſed leviorem. Die 6to *Novembris* poſt cœnam ivit cubitum; illâ nocte plùs minxit, quàm unquam aliàs, & ſubitò factâ *cataſtrophe* ſeu *metaſtaſi*, dolores *in perinæo* evanuerunt: *teſticulus* vice ejus intumuit *dexter* cum dolore acuto; poſtridie dolor & tumor crevit, ut lecto affixus fuerit: impoſuerunt *pulverem ex farina fabarum*, *flor. Chamomill. ſambuc. ſem. lini.* Suaſi, neſcius actorum, *Cataplasma* ex *Bolo*, *camphorâ*, *ſp. vin.*; inde dolor ceſſavit, ſed tumor perſtitit: ſuaſi abhinc *farinam fabarum* cum *Decocto* ♀*ii*. Nuper *Chirurgus* inunxit locum affectum *ol. verbaſc. chamamill. Roſar.*, impoſuitque *Emplaſtrum*: inde dolores ita creverunt, ut febricitarit, & appetitus proſtratus fuerit.

D. 15. conveni *Nobiliſs. Dom.* Emaciatur, non appetit, ſitit, largiter ſudat, urina tincta eſt; faſtidit carnes &c.; pulſus non admodùm frequens eſt; teſticulus minor videtur, & emollitus parte inferiori; ſcrotum multas *puſtulas* protrudit ab heſterna die, pruriuntque: impoſuit *cataplasma* ex *farina fabar. fl. chamom. mellilot. Rad. Alth. ſem. lini* cum *Decocto* ♀*li*: ſumpſit alternis horis *liquor. Diaph. cochl. ij.*; in

33 436940